

κεχαρακτήρισται, ἀκοινωνητόν ἐστι τῇ ἐν ἡ δεικνυ-  
ται ὕλη· μένον ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ὑποστάσει, ἥσπερ  
ἐστι καὶ ἴδιον. Καὶ ἀπλῶς εἰπεῖν, οὐ λατρεύεται ἡ  
εἰκὼν τοῦ Χριστοῦ. Ἄλλ' ὁ ἐν αὐτῇ προσκυνούμενος  
Χριστός· καὶ προσκυνητέον αὐτῇ κατὰ τὸ αὐτὸν τῆς  
ὑποστάσεως τοῦ Χριστοῦ, παρὰ δὲ τὸ τῆς οὐσίας  
τῆς εἰκότος διάφορον.

Christo qui in ipsa colitur : ac imaginem venerari oportet secundum identitatem personæ Christi, quantumvis substantia ipsius diversa sit.

Οὕτω τοιγαροῦν, ὡς ἐμὲ γοῦν εἰδέναι, τῇ τῶν  
ἀγίων Πατέρων διδασκαλίᾳ ἐπερειδόμενον, ἡ τῆς εἰ-  
κότος τοῦ Χριστοῦ προσκύνησις· ἥσ ἀναιρουμένης  
ἀνήρηται δυνάμει καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ οἰκονομία· καὶ  
ἥσ μὴ προσκυνουμένης, ἀνήρηται ὡσαύτως καὶ τοῦ  
Χριστοῦ προσκύνησις.

Καὶ διὰ τοῦτο, ὦ θεῖε Πάτερ, σὺν φόβῳ καὶ εὐ-  
λαβείᾳ προσιτέον καὶ προσκυνητέον αὐτῇ, ὡς τῆς  
προσκυνήσεως ἐπὶ τὸν Χριστὸν διαβαινούσης· καὶ  
πιστευτέον χάριν θεῖαν ἐν αὐτῇ ἐπιφοιτᾶν, καὶ ἀγια-  
σμοῦ αὐτὴν ὑπάρχειν μεταδοτικὴν τοῖς πίστει προσ-  
κυνήουσιν. Ἐπεὶ καὶ ἐπὶ τοῦ τύπου τοῦ ζωοποιῦ σταυ-  
ροῦ, τῆς εἰκότος τε τῆς παναγίας Θεοτόκου, καὶ πάν-  
των τῶν ἀγίων, πάντα ἀγιαστικὴ εἰκόνων προσκύν-  
ησις, διὰ μέσου τῶν κατ' αὐτάς πρωτοτύπων ἐπὶ  
Θεὸν ἀναβαίνει. Καὶ διὰ τοῦτο μία καὶ μόνη ἐστὶν  
ἡ λατρευτικὴ προσκύνησις τῆς ἀγίας καὶ ὁμοουσίου  
Τριάδος· δι' ἣν ἐπὶ τῶν ἄλλων αἱ διάφοροι προσ-  
κυνήσεις, καὶ πρὸς ἣν ἡ ἀναφορὰ τῶν ἀπασῶν προσ-  
κυνήσεων ἐνιαία. Εἰ δέ τι ἀγνοία ἐσφαλμένως εἴ-  
ρηκα, ἢ τοῦ καθήκοντος ἐνδεῶς, ἢ πέρα· ὡς Πατὴρ  
ἀγαθός, τὸ μὲν ἐπανορθοῦν, τὸ δὲ ἀναπληροῦν, τὸ  
δὲ περιελεῖν ἀξίωσον· εὐχόμενος καὶ ὑπερευχόμενος  
τῆς ταπεινώσεώς μου, καὶ νοεῖν ὀρθῶς, καὶ λέγειν  
ἀπταιστως, καὶ πράττειν ἀνεπιψόγως.

A illis rebus non communicat, sed manet in annulo,  
ab illis rebus ipsa idea separatum. Sic igitur et  
Christi similitudo quacunque tandem in materia  
sit expressa, minime communicat cum materia in  
qua conspicitur, manens in ipsa Christi persona,  
cujus nempe propria est. Atque ut verbo dicam, latriæ  
cultus minime exhibetur imagini Christi, sed Chri-  
sto qui in ipsa colitur : ac imaginem venerari oportet secundum identitatem personæ Christi, quan-  
tumvis substantia ipsius diversa sit.

Atque hoc modo, ut mihi quidem videtur, sancto-  
rum Patrum doctrina et institutione confirmatur  
imaginis Christi veneratio : quæ si tollatur, pariter  
et ipsa Christi œconomia tollitur : ac, si imago non  
colatur, pariter ipsius Christi veneratio tollitur.

Quapropter, Pater sancte, ad ipsam cum metu  
et reverentia accedere oportet, ipsique honorem  
exhibere, tanquam honore illo ad ipsum Christum  
pertinente : ac pro certo tenendum est gratiam  
divinam supervenire ipsi, et per eam sanctificari  
quicumque cum fide accedunt. Quandoquidem tum  
in crucis vivificæ typo, tum in sanctissimæ Dei  
matris, aliorumque sanctorum imagine, omnis  
imaginum cultus sacer, per eos, qui in ipsis re-  
præsentantur, pertingit ad Deum : atque idcirco  
latriæ veneratio omnis et sola est sanctæ consub-  
stantialisque Trinitatis, propter quam aliis diversus  
exhibetur cultus, et ad quam tendit alia quæcun-  
que veneratio. Quod si quid per ignorance per-  
peram dixi, sive infra, sive supra id quod decet ;  
tu tanquam bonus Pater illud emendare et vel  
supplere vel amputare ne graveris : pro mea hu-  
militate orans etiam atque etiam, ut et recta sen-  
tiam, et sermo offensione, et facta reprehensione  
careant.

## II. ORATIONES.

JOANNIS LÆVINEII CANONICI

### PRÆFATIO.

Non opinor expectare te, amice lector, ut eum auctorem splendide ac prolixè tibi commendem, qui vel his nostris Catechesibus legendis, ut nihil aliud commemorem, facile se velut sores suo iudicio prodet, adorandarum sacrarum imaginum vindicem acerrimum (ut e sermone 15 clare apparebit), dignitatisque ecclesiasticæ juxta, et monasticæ unicum defensorem, morum, maxime inter suos, severissimum censorem, mortis, ac Christianorum discriminum contemptorem fortissimum, ut Michael quidam, monachus, ejus exstat in Vaticano copiosior quam eruditior *De vita Theodori* liber (quem nos legimus) narret ter proscriptum ac legatum in insulas, crudelissimis imperatoribus, qui Constantinum Copronymum (sub quo natus est Constantinopoli, Patre Photino, regionum vectigalium quæstore, matre Theoctiste, D. Platonis toties hoc in opere laudati, sorore) Iconomachi complures sunt secuti, atrocissime nec infrequenter loris vapulasse. Exstat vero in codice nostro extremo epigramma, ut appellatur, quo decessisse traditur



exsilio sui tertii ob veritatis Christianæ professionem anno 12 in insula sancti martyris Tryphonis, non procul Emporio, quod Acrita vocetur, Bithynicæ provincie. Calendis Novembris, qui mensis est undecimus, hora 6, indictione 5, anno ab orbe condito sexies millesimo trecentesimo tricesimo quinto, Verba Græca, quibus hæc continentur, nihil opus est repræsentari, ne frustra simus accurati. Addit annos natum 22 in monasticam vitam dedisse nomen, subditum gessisse 13, præfuisse 52, ut obierit porro ætatis suæ anno 67. Quærendus est autem Michaeli monacho patronus, scribenti a Michaele imperatore, Leonis Thracis, qui Michaellem cognomento Rangabem imperio exulem in Proten insulam detrusit, successore, revocatos ab exilio cunctos a Leone proscriptos : nam Michael iste Amorio, superioris Phrygiæ civitate ortus (τραυλὸν Græci, nos balbum, verbum verbo mutantes, nominemus licet), Copronymum in omnibus imitatus, neque a Judæis alienus, quorum Sabbata veneraretur, inter ceteros, per Theophilum filium, Euthymium. Sardinum antistitem, flagris acriter multatum, ob sacerarum imaginum cultum interfecit, divumque Methodium in vinculis habuit in Acrita insula. Auctorem laudo, Joannem Zonaram, et ejus simium alterum Joannem Curopalatem, ac magnum Biglæ τοῦ Σουλτζη Drungarium, qui exstat in Vaticano. Jam auctor ipse, quod palmarium habemus, Catechesi 74 in impio Michaele, qui procul dubio is est de quo loquimur cum nefarium matrimonium incessit, tum fidem objicit corruptam. Igitur, ut semel statuam, ter exulare jussus, quod nec Michael diffitetur, primum sub Constantino juniore, Irenes imperatricis filio cujus adulterium non probasset, deinde sub Nicephoro, tertio sub Leone Thrace, in hoc tertio suo exsilio vitam cum morte commutaverit, quæ sententia convenit cum epigrammate, quod in codicis nostri calce exstare diximus. Neque vero sum nescius Joannem Zonara iniquiorem videri Theodoro nostro, et ejus avunculo Platoni, cum pontifice Nicephoro creato (Tarasio is successerat), tumultuabundos refert accusasse in eo quod e laicis repente ad episcopum evasisset, plerisque dicentibus hoc usos prætextu dissimulare ambitionem voluisse, cum pontificatui Constantinopolitano inhiarent. Sed profecto vel admodum, dissimilis sibi fuerit (nam aliud loquuntur hæ nostræ Catecheses), vel suspicio quædam popularis hanc viris bonis calumniam inusserit. Venio nunc ad Catecheses. In quo non me ostentabo, nec quod caupones factitant, vino ederam suspendam, maxime vendibili, te appello, ac judicium tuum, amice lector, si qui forte hæc legendo cognoscere voles. In iis transferendis usi sumus unico, quæ amplissimus cardinalis Sirletus exhibuit, olim pontificis Marcelli II codice, satis fideli, sed ab indoctissimo scriba exarato, uti videbunt qui apographum, quod exstat in Vaticano, inspicient, quanquam hic quoque mendarum, et errorum nonnulla facta est accessio, cujus nos testes idonei sumus. Demum opere perfecto locis aliquot deploratis relictis, aliis quos de conjunctura emendassemus, alterum nacti exemplar Vaticanum, notæ melioris, sed in quod totæ 48 primæ Catecheses desiderarentur, cum addidimus permulta, quæ in nostro deessent tum conjecturas plerasque omnes confirmatas vidimus. Inventa est in eo inter Quadragesimales quædam supernumeraria quam ne quis suppressam a nobis maligne causaretur, ad operis finem adjecimus, etsi sciremus ad has nostras minime pertinere; nam Michaelis, quem aliquoties jam adduxi, auctor est non plures 134, quas hic vides, in opere legi parvarum, quæ vocentur, Catecheseon; scripsisse quidem certe et alios libros 3 magnarum, quæ inscribantur, quas non ex tempore, uti priores, sed accurate confectas edidisset. In iis hanc 68 fuisse numero suspicamur : quod recte, an sequius arbitremur, periculum facient qui penes se opus habebunt, nos id vidimus nondum (a). Utcunque erit, noluimus eam silentio præterire. Accessit ultimo loco Theodori testamentum, plane severissimis moribus, et auctoris sollicitudine dignum, a nobis non repertum in Vaticano. Quod superest, spero æquum lectorem nec fidem, qua, non sensum contenti reddidisse Græcorum verborum vim quam potuimus proxime, et tanquam verbum verbo expressimus, nec dictionis lumen quoddam, ac velut splendorem desideraturum. Id adeo quo perspiceretur certius, et exploratius, optabamus edi in lucem exemplar Græcum, unde eruditus lector experiri ac periclitari propius posset, quasi pede collato, sed aliter res tulit. Denique iis in locis, quæ ex omni sacra scripture citantur, vulgatam versionem sumus secuti qua utitur Ecclesia, nisi si auctoris citationi, cui præjudicandum non est, cum Latinis verbis non conveniret, qua in parte minus molestiæ fuit in iis, quæ advocantur ex Evangeliiis, et novo fœdere, postquam id omne e Græco habemus conversum; in veteri, quod fere ex Hebræo Latinus transtulit, Septuaginta interpretum, quibus Græci utuntur, diversitas, quæ plerumque parum accommodata est verbis Latinis, interdum ut aliis utendum esset quam vulgatis effecit, præsertim cum occurrerent legendo quæ in nostris codicibus (Latinos sentio) nusquam legerentur. Ea nos simplicissime, ac verba verbis citra affectationem mutavimus. Hæc habui, quorum te, amice Lector, in operis ingressu admonerem nunc auctorem, si placet, loquentem audiamus.

(a) Hanc homiliam cum Testamento ad calcem operum beati Theodori amandavimus. Edit.



## SANCTI PATRIS ET CONFESSORIS

## THEODORI, STUDITARUM PRÆFECTI,

## AD DISCIPULOS CATECHESIS

QUATUOR ET TRIGINTA SUPRA CENTUM SERMONES COMPLECTENS.

*(Bibliotheca Patrum, tom. XIV, pag. 853.)*

## SERMO PRIMUS.

*In sacrum Pascha. Catechesis. De vita omni nostra sollicitate exigenda.*

Fratres Patresque, Sacrum explere Pascha Christi beneficio permisi, rursum instemus opificiis, operantes juxta, ac vivifica Servatoris nostri Jesu Christi supplicia recolentes: neque enim quia præterit Pascha, memoria ejus una quoque prætereat, sed salutifera vulnera, crucem, sepulturam, resurrectionem perpetuo sub oculos revocemus, ut assidua harum usurpatione rerum invicti simus vitiis: sin minus intenti quandoque capiamur, evestigio crucifixum Dominum Jesum gloriosum suspectemus: statimque animis nostris medicina oriatur: nam et olim Israelitæ, a serpentibus admorsi, serpente æneo conspecto sanabantur<sup>1</sup>. Neque enim nescitis pravas cogitationes, serpentum instar, mordere, immisso in animum veneno: quod omni studio eximendum est simulatque coortum est, ne ulcus difficile mora reddat. Videtis quemadmodum ver sanguinem gignat: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*<sup>2</sup>; quorum quod utrivis addas, alteri detraxeris. Quamobrem demus operam ut deinceps moderate cibo, potu, somno, et si quid aliud est, utamur, ne sub imperium animus veniat, contraque corpus victoria potiatur. Qui in stadio currat, nequaquam duobus, tribus stadiis decursis victor editur, sed totis denique diavolis confectis: igitur nos quoque non dicam quadragesimam, aut quinquagesimam, sed vitam omnem nostram sollicitam exigamus, diaboli laqueos minime fugiemus, nec victoriae præmium feremus. Itaque, fratres, adhuc præclarum certamen decertemus, adhuc pro virtute sudemus, adhuc carnem comprimamus, adhuc corpus in servitute redigamus, adhuc vitia profligemus, semper Domini Jesu necem in corpore circumgestantes, semper in nobis sententiam mortis habentes: jam enim et nos omnes moriemur, ut patres, fratresque nostri, atque hinc profecti in regionem insolentem veniemus, spectra visuri quæ haud dum vidimus, horrendasque voces ac stuporis plenas,

A mentem sane quidem habenti. Quare trepidi semper ac prætimidi, nos a sensibus retrahamus, ab inani auditu, a noxio visu, ab effeminato odoratu, ab omni pravo studio, quanti quanti sumus sancto Deo nos consecrantes, quo ei placentes hæreditatem nanciscamur æternorum bonorum per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO II.

*Post Pascha. In memoriam beati Domitiani oportere nos assidue morte voluntaria desungi, deque molestia.*

Fratres Patresque, præterit Pascha, peractæque feriae sunt. At non gaudere atque feriari, si volumus, præterit, licet enim nobis gaudere semper, ac feriari spiritaliter, secundum eam sententiam: *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete*<sup>3</sup>. Cæterum qui id fiet? si recentem suppliciorum Servatoris nostri Jesu Christi memoriam perpetuo teneamus, quemadmodum pro nobis gloriosus herus in crucem suffixus sit, ac sepultus, tertiaque die suscitatus, instaurans nos, et una secum vita impertiens, ut redivivi non jam nobis vivamus, sed pro nobis defuncto, in vitamque reverso, illudque Apostoli cum fiducia dicamus: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Jesu, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*<sup>4</sup>. Hæc mysterii summa est, mundo emori, Deo vivere. Quamobrem debemus post Pascha quoque intenti vigilare, comprecari, exstimulari, lacrymari, collustrari, semper Domini Jesu necem in corpore circumgestare, quotidie mori studio, assidue a corpore peregrinari, ad Deumque proficisci, per carnis libidinum fugam. Ne dicas: Jam Quadragesima non est: semper intento Quadragesima est. Ne dicas: Jam diu sum in exercitatione, et quiescere necesse est, non est hic quies. Ne dicas: Consenui in virtute, nec timeo, semper timenda conversio est, multosque qui in virtute consenuere uno temporis momento in peccati barathrum Satanæ detraxit. Ut cavendum ei

<sup>1</sup> Num. xxi, 11-19. <sup>2</sup> Galat. v, 17. <sup>3</sup> Philipp. iv, 4. <sup>4</sup> Galat. ii, 20, 21.



sit qui stat videtur ne cadat, et qui custoditus A videtur ne custodiam remittat. Quare circumsp-  
ectio, atque cautio, ac modus adhibetor cum in  
somno, cibis, potuque, tum in aliis rebus omni-  
bus, quo corpus reprimatur, et in servitatem redi-  
gatur, ne, velut equus bene habitus ac frenum præ-  
mordens, in peccati præcipitium nos impellat. Jus-  
seram vos superiore Catechesi non secedere solos  
in abdita loca, et nonnulli rursum estis in iisdem.  
Quid multis? cum virga ad vos veniam, an benignus,  
animique mansuetus? Certe locutus sum, ne-  
que exauditus; videlicet Fratrem hoc ipso nomine  
objurgatum, nec coerciti estis. Attendite ne eod-  
em inobedientiæ exemplo quisque labatur. Ne-  
quaquam temere, ac frustra fiunt Catecheses: non  
est Deus tumultus, quin pacis ut in cunctis cœtib. B  
sanctorum. Ergo ornate universa, decenterque  
gerentur, ut in omnibus per nos Deo gloria quæ-  
ratur. Qui hinc illinc appellitis Fratres, recogitate  
ubi, et quemadmodum sedeatis: non tanquam so-  
luti, sed tanquam spiritu vincti; nec velut sine  
censore, sed velut sub censore Deo, qui motus om-  
nes actionesque vestras inspectet; neque huc illuc  
obeuntes, ac circumcursantes, sed in hospitibus con-  
sidentes, opificio, precibus ac psalmodiis intenti,  
non avare quidpiam vobis cogentes, quin præsen-  
tibus contenti, ipse enim ait: *Non te de-  
seram, neque relinquam* <sup>5</sup>, ut præfidentes dicamus,  
*Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi  
homo* <sup>6</sup>. Mementote fratrum nostrorum, quorum C  
vitæ exitum intuentes imitamini fidem <sup>6</sup>.

Τοιοῦτος ὁ μακάριος Talis beatus Domitia-  
Δομετιανὸς ὃν ὑμνήσα- nus, quem celebravimus,  
μεν. Καὶ οὗτος μνημόσυ- ejusque cum sanctis  
νον μετὰ ἀγίων ἡλίχην memoria est cujusmodi  
πραγματεῖαν ἐπραγμα- quæstum fecit, qualem  
τεύσατο, ἡλίχην πολιτείαν exegit vitam, paucis la-  
ἐξήνυσε, πόνοις ὀλίγοις boribus, ac certaminibus  
καὶ ἀγῶσι κληρωσάμε- perenne præmium sorti-  
νος γέρας αἰώνιον, ἀνθρω- tus? Vilis secundum car-  
πος εὐτελῆς κατὰ σάρκα, nem, sed quem virtuti  
ἀλλ' ἐπειδὴ εἴλετο ἀρετὴν adductum, Deique aman-  
καὶ ἠγάπησε Θεὸν, ὑψω- tem extulit Deus secun-  
σαν αὐτὸν ὁ Θεὸς, κατὰ dum scriptum, *Honori-  
τὸ γεγραμμένον, ὅτι Τοὺς ficantes me glorificabo,  
δοξάζοντάς με δοξά- et qui contemnit me, erit  
σω, καὶ ἐξουθενῶν με ignobilis* <sup>7</sup>.  
ἀτιμασθήσεται (1).

Ut in ejusmodi fratribus gaudere, atque exsultare  
par sit. Verum nihil egerimus nisi quæ nostrarum  
partium sunt una quoque conferamus: conferentes  
autem pro virili, habebimus et nos partem cum  
sanctis per Christum Jesum Dominum nostrum.  
Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spi-  
ritu, nunc et semper, in omnemque perpetuita-  
tem. Amen.

<sup>5</sup> Josue 1, 5; Hebr. XIII, 5. <sup>6</sup> Psal. CXVII, 6. <sup>7</sup> I Reg. II, 30. <sup>8</sup> I Cor. XIV, 26.  
<sup>9</sup> Cant. V, 16. <sup>10</sup> Psal. XLI, 1. <sup>11</sup> Galat. II, 19.

(1) FABRIC. *Bibl. græc.* ed. Harles. t. X, 276.

## SERMO III.

*Post sanctum Pascha. Obeundum nobis esse ut mona-  
stica professione, et qua pro Domino defuncti su-  
mus oppugnatione dignum est.*

Fratres Patresque, Pol gaudio replemur inopes,  
qui vos quotannis huc commeare videamus, quasi-  
que alterum Pascha adventum vestrum agitamus.

Sed quoniam carnalia nobis affertis, et aliud  
aliud, qualia manus præbere queat, age invicem  
vobis pro viribus spiritualia feramus. Igitur  
hortor vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu  
Christi obire, ut monastica professione, ut ea quam  
peregimus confessione, ut oppugnatione, qua pro  
Domino sumus defuncti dignum est, vitam in  
mundo honestam degentes, ut qui egregium no-  
strum Christianum studium tentantes ceu facinoro-  
sos calumniantur, pudeant. Sunt enim, sunt qui  
Christi confessionem incessant, ut aversam cura,  
et indignam, quod vel horreo dicere, censeantque  
præstare cum hæresi societatem coire, quam pro  
Christo oppugnationem adire, quorum justa dam-  
natio est, geminumque consilium Balami consilio,  
qui noxam in Israelitas comparavit. Enimvero duo  
sunt stupra, fidei unum, alterum in corpore si-  
tum: ut qui hæretica consuetudine capiatur, cum  
stuprum in Deum committat, tum potestate simul  
corpore quoque stuprum designet. Quamobrem qui  
ea dicant plani sunt atque impostores, qui animos  
captent infirmos. Nos quidem, fratres, et nostra ip-  
sorum, et veritatis hostium causa, vitam compo-  
namus quam accuratissimam, præclare obeuntes,  
honestisque studiis ad amussim politi. *Unusquis-  
que, inquit, vestrum psalmum habet, linguam habet,  
doctrinam habet, omnia ad ædificationem fiant* <sup>8</sup>.  
Seu prodire necessitas cogat, circumspicite prod-  
eamus, ut quod spectantium fiat commodo, emi-  
cet in vultu gratia, seu accidat ut cum femina col-  
loquamur, cum ingenti cautione loquamur, oculos  
ab obtutu continentes, ne animo stimulum, ac  
telum capiamus. Breviter cuncta ad Dei gloriam  
geruntur, qui nos adamavit, seseque obtulit pro  
nobis. Cujus habet amor attonitum amatorem, laud  
suum esse permittens, sed amati. Atque id perspi-  
cere est in carnaliter amantibus; nam cum feminam  
vir amat, totum se amasiæ præbet, eam spirans,  
eam cogitans. Seu solem dicas, nec solem videre  
velit, sed amasiam, seu mensam proponas, non gau-  
debit ea frui, sed amasia. Ecquid est autem hero  
Christo formosius, ecquid beato ejus amore sua-  
vius: nam is generis hominum longe pulcherri-  
mus est? non dulcedo, et totus deliciæ, secundum  
oracula <sup>9</sup>? Id adeo sancti ostendentes, hoc est ser-  
vidum ejus amorem, alius, *Quemadmodum, ait, de-  
siderat cerva ad fontes aquarum, ita desiderat anima  
mea ad te, Deus* <sup>10</sup>; alius: *Meus amor crucifixus  
est Christus* <sup>11</sup>; alius rursum: *Charitas enim Christi  
urget nos, æstimantes hoc, quoniam, si unus pro om-*

<sup>8</sup> Hebr. XIII, 7. <sup>9</sup> I Reg. II, 30. <sup>10</sup> I Cor. XIV, 26.



nibus mortuus est : ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit <sup>12</sup>: hoc amore mundum complexus Deus est, tamque acriter et impotenter a sanctis adamatus. Nos qui tepide eum amemus, propterea perditis cogitatis, carnisque libidinibus capimur, dolorem pro voluptate, amaritiam pro dulcedine, tumultum pro pace prehensantes. Sed abluenda mens est, fratres, cohortor, ab his noxiis cupidinibus, et assidue purganda, quo Christum habeamus domesticum : nam ubi puritas, ibi Christus. Quæ amabilis demum, beataque vita est, ac si viventes cœleste regnum quæremus per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO IV.

*Post sanctum Pascha. Circumspectionem adhibendam, noxiaque fugienda peccati loca, atque modos.*

Fratres Patresque, vocat post festum ad colloquium redire tempus, ac solemnem catechesin reddere. Polalacres convenimus, haud ignari ad hoc comparatos, minusque vos alloquentes quantum pote est, deploratos. Quid igitur dicere est in presentibus? scilicet unumquemque vestrum, quasi quemdam mercatorem, in Quadragesima opibus coactis spiritalibus, velut in portum ad sacrum Pascha venisse, multis comportatis eximiis mercibus virtutis, id est jejunio, vigiliis, precibus, industria, et quæ alia sunt studia pietatis, eaque non minimæ curæ est conservare. Neque enim quod in sensili usu venit, idem in portu cogitandum qui mente ingenioque describitur; nam illic, simul atque appuleris, otium agas, fluctuum maris, ac discriminum securus, hic carnis contra licentia magis vitia ferociunt, et tanquam procellæ quædam ingruunt nequam spiritus, stupri, gulæ, avaritiæ, tristitiæ, superbiæ, timendumque ne in portu inundemur. Enimvero sanctus David, conspecta forte Uriæ conjuge incustodite, quid patrarit norunt qui legant <sup>13</sup>: *Comedit Jacob, et impletus est, et recalcitravit dilectus* <sup>14</sup>, inquit. Attrectavit quis feminam nolens, et incensus libidine, scelus contraxit. Attende qui inaudis, fuge noxia peccati loca atque modos; oculusque tibi, auditus, odoratus, tactus, gustatus, cibus, potus, somnus, ceu ad anussim componitor, ne viliorum mergare fluctibus. Sane hoc sciendum est qui mare tranet quod sub sensum sit subjectum tempestates, ac procellas subire invitum : at qui profundum transeat quod intelligentia capiatur, et tempestatis, et tranquillitatis Dominus est. Nam si cogitationes absurdas strenue repellat, tranquillitate repletur, comitem habens sanctum Spiritum, uti divo Arsenio relatum est : at qui sensus teneat remissos, instarque fluminum libidines intromittat, sibi ipse

A tempestatem teterrimam concitat. Qui ni celeriter fluctuantes cogitationes sedet, nihil in mora sit, quin miserabilem eam edat vocem : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* <sup>15</sup>. Itaque ratio præsideto, neque a pejore præstantius detrahitur, quin spiritus dominator, atque ad præstantius agito. Nescitis quid peccatum designaverit? non mortem in mundum induxit? non orbem terrarum sepulcretis complevit? Unde est autem illa hactenus ab ævo internecio? quippe erat ante transgressionem incorruptus homo, neque eorum quæ prædiximus quidquam ortum habuisset, si constans inedito præcepto primigenius mansisset. Hoc perennis auctor supplicii, hoc gehennæ ignis inextincti deflagratio, hoc vermis sine fine pabulum est, hoc, qui in honore esset, hominem brutorum animalium instar reddidit <sup>16</sup>. Tale igitur et ejus modicum, sit perniciosum ac mortiferum, fugiendum est fratres pro virili, et asciscenda virtus, quæ angelos comparet mortales, necem profliget, dæmones expugnet, sæculi hujus principes, et arbitros transiliat, regno denique cœlesti desponso : quod et assequi omnes contingat Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio, cum quo Patri una cum sancto Spiritu gloria, honor, imperium, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO V.

*In Octavam Paschæ. De horrendo tribunali, deque præsentis vitæ nostræ diebus circumspecte trans-eundis.*

C Fratres Patresque, præsentis mora vitæ ne segnitiam in nobis, aut dissolutionem, ac contemptum gignat, sed curam magis, et acrius Deo placendi studium, ceu instantibus morti. Nullus vero servus rationem hero reddere propinquans, aut legatus ei qui se misit, securus degat, sed tantopere est sollicitus, ut apud se captus mente videatur. Quid igitur? et nos hero imminemus, seu potius imminet herus, ac terribile ineundis rationibus tribunal, cui sistemur omnes nudi et aperti, causam dicturi quam egimus vitæ, laturique aut cœleste regnum, aut supplicium perenne. Jam quis ad hæc instructus, aut qui dormire possit, ac non igni perniciosius heri voluntatem exsequi festinet? ne servi instar deprehendatur, thalamo vinctis manibus, atque pedibus ejecti <sup>17</sup>. Quæ si nos exempla laud exterrant, vel e præsentibus de futuris conjectemus. Non regios videmus hostes, ut alii custodiis afflicentur, alii flagris multentur; alii in exsilium deportentur, alii oculos deperdant, alii vitæ adeant periculum? atqui nec offenderunt quidem, ut ipsi quoque astent timide, famulentur trepide, huc illuc dimissi, ad bella et ardua negotia : nec contradicit quisquam, aut minus obtemperat. Siu ita est in caduco rege, quanto magis in perenni soloque rege, ac Domino dominorum, timide at-

<sup>12</sup> II Cor. v, 14, 15. <sup>13</sup> II Reg. xi, 4 seqq. <sup>14</sup> Deut. xxxii, 15. <sup>15</sup> Psal. lxxviii, 5. <sup>16</sup> Psal. xlviii, 15. <sup>17</sup> Matth. xxii, 13.



que trepide hæc par obiri est, nec citra constitutum quidquam fieri? *Au divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis, ut aiunt sacræ Litteræ, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diem iræ, et revelationis, et justî judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus*<sup>18</sup>. Hæc nos terreant omnemque diem caute ac circumspecte transeamus, statim prima luce alacres surgentes, et somno lotionis discusso comprecantes, dum horæ non canuntur ob resurrectionem, ut agiles opera redeamus: seu cellarius in cellario, seu coquus in coquina, seu minister in ministerio, seu cohortans in cohortando, breviter, omnes in omnibus, placide obeuntes. Nusquam murmur, detrectatio, clamor, contradictio, aut malignitas retenta, ut foris placidus videare, intus malignitatem alas, ac suo tempore mordeas, ceu serpens, memerve injuriæ camelus. Probrum quis ingessit? præteriit. Resipuit? sincere condonate, nequaquam animis redaccensi, nec secundum Scripturam malum malo<sup>19</sup>, et injuriam injuria compensantes; quin contra benedictos, certi ad benedictionem hæreditariam vocatos.

*Nam qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, auctoribus Litteris, prohibeat linguam suam a malo et labia ejus ne loquantur dolum. Divertat a malo, et faciat bonum; inquiret pacem, et persequatur eam. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala*<sup>20</sup>; minora hæc: quid vero qui majora? Contra principatus, ac potestates, et hujus sæculi mundi potentes luctamur, contra instantem oppugnationem hæc, illaque minantem, ut audimus, itaque minus procineti ad minora, æquam in majoribus laudem speremus.

*Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est*<sup>21</sup>, quemadmodum ait Dominus. Igitur qui et in majori et in minimo Christi beneficio visi estis fideles, tam obedientia quam confessione obeunda, neutrunde claudicatote, quin utriusvis perfecti estote, omni præclara functione absoluti, nulla in re offendiculum præbentes, ne ministerium traducatur: sed in cunctis Deo placentes, quo cœlestis regni hæreditatem ineatis per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO VI.

*Ante Mesopentecosten. Oportere nos fragrantem comparare, asciscenda virtute.*

Fratres Patresque, Christo redivivo universum hoc omne, quasi quadam morte, hiberno posito squalore, iterum refloret, et tanquam reviviscit. Enimvero videmus terram virescentem, stirpes flo-

ridas, pecudes salientes, mare placidum, cuncta in melius restituta.

Sed quamobrem hæc disserui, id dicendum venit: nimirum si tantopere inanima atque bruta renident ac resplendent in prælustri resurrectione, quanto nos debere magis, ratione ornatos: et imagine divina, comptos moribus, ac spiritu fragrantem nos præbere? nam equidem Christi fragrantia est qui virtutem comparet. Testatur id Apostolus in hæc verba: *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam*<sup>22</sup>. Jam illud quoque ad hæc dicere est. Adamum ante transgressionem Deo fragrantem fuisse, incorruptum et immortalitate nactum, vacantemque cœlestibus spectaculis, qui prati instar floridi atque redolentis, pomarium incoletet, spirans virtutes.

Quin et Isaacus patriarcha in Jacobo filio fragrantem odoratus, ait, *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*<sup>23</sup>, odore scilicet spiritualiter percepto. Quamobrem, fratres, spiremus nos quoque fragrantem spiritalem, quam virtutum compositione sibi quisque moliatur, ceu unguentarius vere optimus. Hoc felix unguentum est, hoc Deo jucundum, hoc angelos pellicit, arcet dæmones; hoc unguento femine Christum pone sunt affectatæ, secundum Canticorum carmen<sup>24</sup>. Hoc enimvero et nos assectemur quoque sincere, sanctam Mesopentecosten, quæ in foribus est, agentes, siquidem scriptum est: *Jam die festo mediante ascendit Jesus in templum, et docebat, et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit*<sup>25</sup>. Sed hæc ante supplicium; nunc post resurrectionem conspicuus, convalescensque cum sanctis apostolis, eos arcanis initiare.

Atque, o comitatem ineffabilem, quod cibus usus est redivivus, sacra ejus carne minime requirente. Sed tamen resurrectione probanda et comedit, et bibit, et latus contrectandum dedit, iisque qui se spiritum credebant, jussit manus, pedesque cernerent: sese enim esse. Tractarent ac viderent: nam spiritum carnem, et ossa non habere<sup>26</sup>, uti se habentem spectarent. Quid ad hæc ais, Christomache? si carnem et ossa non habet, nec quid depingatur habet: itaque si posterius non habet, nec prius habuerit. Quanquam et habere qui depingatur tacite de se testatur ipse, nam utrumvis alterum probat et condicit.

Sed Iconomachi, Manichæis paria censes, par supplicium luent, æternam perniciem, quemadmodum scriptum est: nos, fratres, quæ orthodoxa opinio est. Dominum nostrum Jesum Christum in imagine tueri, et adorare credentes, dignam hac religione vitam probemus, puram, irreprehensam, insontem, quo neutrunde claudicantes, quin utriusvis laudati, cœleste regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et im-

<sup>18</sup> Rom. II, 4-6. <sup>19</sup> Rom. II, 17. <sup>20</sup> Psal. XXXIII, 15-17. <sup>21</sup> Luc. XVI, 10. <sup>22</sup> I Cor. II, 15. <sup>23</sup> Gen. XXXVII, 27. <sup>24</sup> Cant. I, 2. <sup>25</sup> Joan. VII, 15. <sup>26</sup> Luc. XXIV, 59.



perium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et A  
semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO VII.

*Ante Ascensionem. De Ascensione Servatoris nostri Christi, vitæque inter nos ex Dei voluntate agenda.*

Fratres Patresque, festum imminet festorum, ac pro foribus est Ascensio Servatoris nostri Jesu Christi, agiturque ingens et incredibile arcanum: siquidem trans cœlos attollitur, natura nostra, quemadmodum scriptum est: *Gratia estis salvati ac nos conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, qui est in dextera Dei, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnia Ecclesie, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimplet*<sup>27</sup>. Videtisne ad quod dignitatis culmen humanitas sit evecta? annon e terra in cœlos? annon e corruptela ad immortalitatem? Quantopere quis laboret ut terrestri ac caduco regi amicus fiat? nos quidem, qui, sceleribus patrandis, et aversi essemus, et hostes ingenio, non modo in gratiam rediimus cum Deo, ac Patre, per Dominum nostrum Jesum Christum, quin evasimus quoque ad adoptionem.

Ac nunc est in cœlis natura nostra, quam vis omnis conspicua et inaspectabilis adoret: tanta est amplitudo immensæ benigni Dei bonitatis. Idque recogitans beatus Apostolus exclamat: *Quæ est spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo*<sup>28</sup>? Nam quid accidit? venit ad nos ter optimus e Virgine prognatus solemnibus naturæ legibus mancipatus, crucem conscendit, affixo secum contra nos chirographo, ad terræ infima degressus mortis doloribus solutis, et humano genere simul in vitam restituto, ad extremum gloriose est sublevatus, Patri se exhibens pro nobis.

Hæc est ergo, ut breviter dicam, sancta festivitas. Quæ nos, fratres, contemplati, ac quemadmodum Christi simus corpus, beneficium reveriti, nobilitatem tueamur, neu gratiam prodamus, neu Christi membra meretricis membra præstemus, quin castos insuper tum verbis, tum opere præbeamus, atque a carnis libidinibus arceamus, quæ cum animo conflictantur, vita internos agenda honesta, placida, obsecunda, morigera, submissa, composita, quæ vita denique beata est, deliciis, ludicris, risu et intemperantia, ac quidquid insolens est, ad carnis vitæque amantes dimissis. Qui videntes minime vident, neque audientes audiunt, mente obducta callo, et auribus sepultis vitiosum ab honesto, lucem a tenebris, vitam a morte non discernant, atque in ignem irruant præsentem.

<sup>27</sup> Ephes. II, 6, 7; I, 20-23. <sup>28</sup> Ephes. I, 18, 19. <sup>29</sup> I Cor. XI, 28-31.

nam ignis est carnis libido, et tamen effrenes ad eam currunt; serobs est avaritiæ, neque tamen ire in serobem præcipites desistunt, voluntarium in se dæmonem contrahentes, dignique quos calamitosos potius, quam beatos prædices, qui vere bonis repulsis, perditas corruptelas amplectantur. Cæterum nos, fratres, confessionem teneamus in qua stamus, ac divinæ spe gloriæ triumphamus; exercitationem tueamur, quam secuti sunt sancti, et in primis, quem nunc celebramus, beatus Pachomius, sane cernamus, sane audiamus, sane contrectemus, membris omnibus sane utentes, ac sermoni operam dantes promissam perennem vitam consequemur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac Spiritu sancto, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO VIII.

*Oportere sacra pura conscientia percipere, habitata in Ascensione.*

Fratres Patresque, adest Ascensio, festivitas Domini nostri Jesu Christi œconomix finis et extremum; nam ex Patris voluntate omnibus conlectis, gloriose est sublatus ac nos una statuit in cœlis redivos per sanctam suam carnem. Ecquæ est autem gloriæ ejus opulentia! quæ ingens potentix magnitudo! quod vilem nostram ac nihili naturam ad regale solium evexit, quæ ab cunctis cœlestibus copiis adoretur. Id adeo cogitantes, exhorrescamus, fratres, et beneficii amplitudinem veneremur, vitamque dignam capite ducamus, ut Christi membra, ut concorpores, ac consortes, et cohæredes, castitate, scientia, lenitate, benignitate, sancto Spiritu, amore minime ficto, oratione veraci, virtute præditi divina, omni adhibenda obedientia, ac submissione, et cura, atque cautione, nulla contracta insolentia, nihil citra præceptum facientes. Sane qui carnem inquinat, nequaquam Christi membrum sit, quin nec dignus sacra percipere. Siquidem ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi: nam si nosmetipsos dijudicarem, non utique judicarem. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*<sup>29</sup>. Quamobrem sanctos purosque nos præstemus, ut merito Christi membra vocemur, ac sacra percipiamus. Sin accidat incautis exardescere pravam libidinem, aut iram, aut invidiam, aut odium, aut quid aliud Deo invisum, nihil mirum, quid ocus in antiquum habitum restituti sanemur, neque in flagitio persistamus: nam persistere damnationem habet inexorabilem. Jam annon et mors ingruit repente? en heri episcopum invisimus ægrum, et deploratum offendimus, totum febribus exhaustum, totum dolore impotem, huc,



illuc respectantem necunde ope reperta, nisi conscientia, seu bona, seu prava. Quid ergo, annon idem nos quoque patiemur? quid vero, annon hæc sæmnia sunt, umbraque, ad supplicia futura? Ignis is non restinguitur, non moritur vermis, non tenebræ dissipantur, non vincula solvuntur, non Tartara fatiscunt, non stridor dentium cessat, cætera omnia sunt perennia tormenta. Quæ nos fratres, scio reputantes, non libidinum studio, non invidia, non livore, non ira ducamur, non obloquia, non mendacia agitemus, non aliud contrarium designemus, quia pacem et animi quamdam æquabilitatem tueamur, exstimulemur, bene mereamur, invicem divinitus amemus omniaque præcepta exsequamur, quo et pœnas evadamus, et æternam vitam consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, et sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO IX.

*Ante sanctam Pentecosten. De sancti Spiritus degressu, et infelicis Euprepiani mortè.*

Fratres Patresque, pervenimus ad Pentecosten, ad sancti Spiritus degressum: quippe ait Dominus: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, et cum venerit ille, deducet vos in omnem veritatem*<sup>30</sup>. Hui promissum atque beneficium! non angelum, non hominem mittere est pollicitus, sed ipsum cognatum Spiritum. Igitur unigena Filio, expleto opere paterno, in cælos ascendente, sanctus Spiritus descendit, non alius Deus (absit!), sed alius Paracletus, uti scriptum est<sup>31</sup>, Deo nobis (benignitatem incredibilem!), solatio futuro. Sane afflictam mentem, vexatamque solatur ne in periculis succumbat: testatur Apostolus in hanc sententiam: *Foris pugnae, intus timores, sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi*<sup>32</sup>. Animum solatur dæmonum terriculamentis attonitum, in irretentam quamdam fortitudinem præ audacia restaurans; auctor sanctus David in hæc verba: *Quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me*<sup>33</sup>. Mentem hortatur inimicam, pacem ac quietem ducere; testimonio est hoc Apostoli dictum. *Pro Christo [deprecamur] legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*<sup>34</sup>. Viden' indepremsam comitatem? viden' incomparabile munus? sursum unigena Filius ad Patrem pro nobis intercedit, quemadmodum scriptum est: *Qui et est ad dextram ejus, qui etiam interpellat pro nobis*<sup>35</sup>, deorsum sanctus Spiritus multimodis solatur. Ecquid pro his Deo reddemus? fortasse illud nobis usurpare, ac dicere est: *Omnia ossa mea dicent: Domine, Domine, quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum ejus et egenum, et pauperem a diripientibus eum*<sup>36</sup>; ac rur-

sum: *Adjutorium meum a Domino, qui fecit cælum et terram*<sup>37</sup>; et: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*<sup>38</sup>; iterumque: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*<sup>39</sup>. Itaque talem nacti Paracletum, sanctum Spiritum, vim invictam, magnum propugnatorem, et Deum atque socium, nequam expavescamus, Fratres Patresque, ad inimici terrorem, neu consternemur ab hostilibus malignis copiis, sed velut commilitonem eum habentes, comitemque ferendis et monasticis et confessoriiis certaminibus, animose insuper, ac statario properemus, gradum quotidie facientes, non draconis fraudibus inescati, non perpetuis insultibus fracti, studio omni carnis extincto, ut animi nostri tanquam ædes incendente. Mibi credite, non voluptas est, sed vehemens dolor; non oblectamentum est, sed consternatio [*ἐκστασις φρενῶν legi in Græco pro ἐκτασις.*] quædam, ac perdita mentis alienatio. Neque id nesciunt qui rabiem carnis abluant, et solius Dei cupiditate ducantur: quo quid suavius? quid felicius? Næ ille est in carne, ac supra carnem in mundo et supra mundum: in præsentem vitam, ac supra spectabilia vivens, in quolenibus sanctus Spiritus auris exciti æstus quidam gratiæ mentem quam maxime tranquillat.

Sed quid autem voluptatis studium victos tantopere diversos agit, et immutat, in terram: carnem atque sanguinem devexos, unde omnino alienemur a bono Deo?

Non audistis quid acciderit miserabili Euprepiano? jamjam enim nobis nuntiatur defunctus, et defunctus (heu meas ærumnas) non temporali, sed æterna morte, abrupta in Evæ amplexibus vita. Heu quid passus est infelix! scitis quemadmodum prius super capite splendebat cum morigerationis, tum probitatis lucerna. Annon olim confessione obeunda mecum reclusus est? annon Saccudione ad Oeconomiam dignitatem pro vectus? annon ob præsentem confessionem in arenam descendit, bis flagris multatus, ac fortissime perpressus? Tum quid autem? habens, ut Oeconomus, marsupium monasterii, et

Οὐκ ἠκούσατε, τί πέπονθεν ὁ ἐλεεινὸς Εὐπρεπιανός; ἄρτι γὰρ ἡμῖν ἀνηγγέλη ὅτι τέθνηκε. Καὶ τέθνηκε, φεῦ τῆς ἐμῆς ταλαιπωρίας! οὐ πρόσκαιρον, ἀλλὰ τὸν αἰώνιον θάνατον συμπλακεῖς τῇ Εὐα καὶ ταύτῃ τὸν βίον ἀποβήξας. Ὡ τί πέπονθεν ὁ τάλας! Ἴστε ὅπως πρότερον ἤδραξε ὁ λύχνος ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτοῦ, τῆς τε εὐπιστίας καὶ εὐδρομίας. Οὐχὶ συναπεκλείσθη μοι πάλαι ὁμολογητικῶς; οὐκ εἰς οἰκονόμου προήχθη βαθμὸν ἐν τῷ Σακκουδίῳ; οὐκ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ ὁμολογίᾳ ἀπεδύσατο πρὸς ἀγῶνας δις μαστιχθεὶς καὶ ἐνεγκῶν ἄριστα; εἰτά τι ἔχων ὡς οἰκονόμος τὸ γλωσσόχομον τοῦ μοναστηρίου, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ βαλλόμενα θελχθεὶς τῷ χρυσίῳ καὶ περιπαρεὶς τῇ

<sup>30</sup> Joan. xvi, 7, 8. <sup>31</sup> Joan. xiv, 16. <sup>32</sup> II Cor. vii, 5, 6. <sup>33</sup> Psal. lxxxv, 17. <sup>34</sup> II Cor. v 20. <sup>35</sup> Rom. viii, 34. <sup>36</sup> Psal. xxxiv, 10. <sup>37</sup> Psal. cxxiii, 8. <sup>38</sup> Psal. xciii, 17. <sup>39</sup> Psal. cxvii, 6.



quæ injicerentur, auro illectus, atque avaritia confixus, heu, Christum Judæ instar prodidit, et virginitatis deposito voto<sup>40</sup>, et Giezice<sup>41</sup> agris, vineis, bobus, ovibus coemptis.

φιλαργυρία κατὰ τὸν Ἰούδαν, προῦδωκεν, ὁμοί, τὸν Χριστόν. Τοῦτο μὲν ἀποδυσάμενος τῇ τῆς παρθενίας ἐπάγγελμα, τοῦτο δὲ Γιεζικῶς ὠνησάμενος ἀγροὺς καὶ ἀμπελώνας, κτλ. (2).

Quare non ejus lepram modo contraxit, sed, uti reor, et tristius quiddam. En quid perfecit avaritia, fratres: fugiamus vitium, quæso, ut proditionis officinam. En quid exegit pervicacia: fugiamus tenebras quæ a Dominico cœtu divellant; fugiamus et reliqua cuncta vitia, quæ miserum animum nostrum lacesunt, furorem, invidiam, iram, studium sui, pervicaciam, successum; fugite soli esse, ut condictam a Deo imprecationem fugiatis: nam, *Væ soli*, inquit, *quia cum ceciderit non habet sublevantem se*<sup>42</sup>; quod ei contigit quo de sermo est. Cui si socius fuisset, quantumvis cecidit, poterat rursus ope socii consurgere, rursus plangere delictum: cæterum qui haberet nullum, periit miser, in suum locum profectus. Digna, fratres, dolore atque plânetu tragoedia est. *Qui stat*, inquit, *videto ne cadat*<sup>43</sup>; qui bene currit caveto ne prosternatur, prostratum cernens qui prius bene currebat. Angelum quis, opinor, facilius casurum quam fratrem cum duxisset, et tamen cecidit, dormitans, causaque avaritia est. Non fecissem vero de avaritia verba, nisi vererer ut nunc per-

A hinc serviamus, qua in parte quis sibi deesse aliquid sentiet, purgator, et animus ad Dei voluntatem innovator: prope est cunctis eum vocantibus, ac quotidie cum pœnitentiam admittit, tum peccata delet, nosque assidue ad amplectendam perennem vitam cohortatur. Quam et adipisci mereamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO X.

*In omnes sanctos. Martyres esse non solos qui sanguinem profundant, sed etiam qui vitam obeant divinam.*

Fratres Patresque, festum festorum summum est sancta Pentecoste, quam peregrimus; sed festum quoque est et sanctorum omnium solemnitas, quam nunc contigimus. Ac cum proprium sit festi e bonis aliquid præclara cogitatione parare, recolite, si videtur, quot quantique sancti memorentur. Et quis cœli stellas enumeret, ac diffusam ad maris litus arenam? tot sunt martyres per orbem, qui adversariam potestatem fide vicerunt, prociunctique ad tyrannicas acies, in ignem, gladium, B feras, terrores omnes tetenderunt, qui supplicia ducebant pro deliciis, obtruncationem pro voluptate. Quin confidentia hæc igneos carbones præculcarunt, rogos incensos restinxerunt, in natura peragendis natura majoribus, attonitos habentes tyrannos atque reges. Quid testati (3)? Jesum cum esse Christum tum Dei Filium, quo in nomine inesset vita sempiterna, auctoribus Scriptis. C Ecquid ergo soli martyres sunt qui sanguinem profundant? Minime vero, quin ii quoque qui vitam obeant divinam; ait enim Apostolus: *Circue-*  
*runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ*<sup>44</sup>. Et paulo post: *Tantam habentes nubem martyrum, deponentes omne pondus, et circumstantes nos peccatum per patientiam decurramus propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum*<sup>45</sup>. Viden' ut universe martyres vocavit omnes pietatis amantes, afflictamque vitam tolerantia trahentes? Quare et nos, fratres, numerati in hoc martyrio sumus: nam qui tolerantes vitæ ærumnas crucigeræ amplectamur, qui virginale votum tueamur, nec morigeratione detrectanda, in qua inest quiddam instar certaminis Jesum testamur et Christum esse, et Dei Filium, testamur judicium ac remunerationem futuram, testamur vitæ exactæ rationem reddituros ad terribile Christi tribunal, ob-

<sup>40</sup> Catech. l. xxxvii. <sup>41</sup> IV Reg. v, 4 seqq. <sup>42</sup> Eccle. iv, 10. <sup>43</sup> I Cor. x, 12. <sup>44</sup> Hebr. xi, 37, 38. <sup>45</sup> Hebr. xii, 1.

(2) FABRIC. *Bibl. græc.* Harles. t. X, 207.

(3) Alluditur ad etymon Græcum: nam μάρτυρες ἀπὸ τοῦ μαρτυρεῖν dicti, quod est testari.



dunt, atque obsequuntur perduelli rebus ipsis Deum esse negantes, secundum sancti Davidis sententiam. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*<sup>46</sup>. Nam ni oblivionem Dei in hominum mentibus, quasique dissidentiam gignat, rationi non persuadeat carnis libidines peccati licentiam, ebrietatem, intemperantiam, comessiones, pocula, avaritiam, idololatriam, cæteras omnes insolentias persequi arreptamque inde mentem, a Deo abstractam, cogit post se abire, æterno simul inextincti ignis supplicio constando. Quam miserabilis fallacia, tristiorque fallaciæ finis et extremum! Verum nos, fratres, cœu Christi martyres, adhuc præclaro martyrio fungamur, adhuc illustrem confessionem obeamus, gaudentes cum omnibus sanctis, quod meriti pro Christo martyrium sumus, genu Baali non inflexo, quæ carnis libido est, ac reliquæ vitæ voluptates. Ne credamus spectra suggerenti, unde obedientiam detrectemus; quin quotidie velut in stadio contra luctemur, icti, neque præfracti; animosi, non percussi. Jam vero quod martyrii compendium! Scitis ut martyrio in quoquam secundum vitam perfuncti socii sint eorum gaudii, rerumque pro quibus martyrio sunt affecti consortes ostendantur. Ergo hinc consecrarium est et Christi martyres, ut eum in cunctis martyrio testatos, pro veroque testimonio pœnas intolerabiles perpressos, in futuro sæculo hæredes cum eo declarandos; nam Apostoli hæc sententia est: *Cum Christus apparuerit, vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*<sup>47</sup>. Cum quibus et nos, peracto nostro martyrio (longum est autem, per omnem vitam), bonis frui sempiternis, in ævumque cum Christo triumphare mereamur: quem gloria decet, et honor, atque cultus, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XI.

*Dominica I. Doctrina de pace.*

Fratres Patresque, pacis dies Dominica est: nam Dominus hoste in ea spoliato discipulis ait: *Pax vobis*<sup>48</sup>. Atque id locutus, non iis pacem modo præscripsit, in unove die, sed cum omnibus, tum perpetuo eandem ingerit pacem, quemadmodum et nihili nobis. Igitur pacem habeamus, et inter nos agitemus; hoc secundum exteriorem hominem, ne quas inimicitias cum quoquam fratrum teneamus, quin amore cunctos prosequamur (*In hoc enim, inquit, cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*<sup>49</sup>); illud secundum interiorem, ut pace ac quiete fruamur lethalium vitiorum; ita namque cum Apostolo dicere queamus: *Pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua*

<sup>46</sup> Psal. LII, 1. <sup>47</sup> Coloss. III, 4. <sup>48</sup> Joan. XX, 21. <sup>49</sup> Joan. XIII, 35. <sup>50</sup> Rom. V, 1. <sup>51</sup> Ephes. II, 13, 14. <sup>52</sup> Joan. XVII, 4. <sup>53</sup> Ephes. VI, 12. <sup>54</sup> II Cor. X, 5. <sup>55</sup> I Cor. XV, 55.

(4) In Gr. ἐβδουμένους, legi, pro ἐβδουμένους.

*stamus, et gloriamur in spe gloriæ Dei*<sup>50</sup>. Sin, qui natura simus mutabili, æstum in nobis exciri luctuosum contingat (nam lit omnino), tum vero in antiquum statum ocius recurramus, pacem habentes cum Deo: *Ipsæ enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias, in carne sua legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*<sup>51</sup>. Hactenus Apostolus.

Idque opus est quod Dominus peregit, uti Patrem alloquitur: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*<sup>52</sup>, id est, pace terram, cœlumque devinxit, vobis etiam pacis, et amoris filii effectis. Sin objicias, Qui possumus non esse in perpetuo bello, dicente Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principatus, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus*<sup>53</sup>? respondere licet, ostendere eum quantum, ac cujusmodi sit bellum, non bello nos lacessi: nam alibi scribit: *Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Christi. Et in promptu habentes, ulcisci omnem inobedientiam*<sup>54</sup>. Cæterum sic affectus, dubium non est quin bellum restinxerit, pacemque agat. Nec videri vobis, fratres, molestus debeo, qui hæc disseram, ac sim in iis, et hoc atque illud scruter et examinem; id enim non est inutile, quin frugi in primis, oratione viam ad actionem sternente. Et alii dicant sane mundana, quotquot sunt mundani de agricultura, mercatu, quæstu, jactura, ac quæ alia sunt inania studia; nos quid potius loquamur, quidve convenit loqui, nisi de animo, de fuga vitiorum, de parandis virtutibus, de corporis ab animo separatione, et de comparatione ad Christi tribunal, de judicio, de remuneratione, deque regno cœlesti? cujus et nos hæredes effici contingat Domini nostri Jesu Christi beneficio: quem gloria decet, et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XII.

*Dominica II. Oportere vitam nostram in Dei reverentia et amore transigi, deque obitu fratris Eudocimi.*

Fratres Patresque, dies hæc quam agimus Dominicæ instar est Catechesis, si advertimus: in hac enim Dominus noster Jesus Christus vitiiis projectos (4) instauravit; in hac culpis, et carnis nostræ præputio mortuos in vitam reduxit; in hac paradysum redaperuit, fruenda arbore vitali, quod est vivificum ejus corpus, atque sanguis; in hac contra mortem insurgentes propheticum hoc usurpare possumus<sup>55</sup>: *Ubituus, mors, stimulus? ubi tua*



*Orce, victoria?* victus es ab eo qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*<sup>56</sup>. Tum autem ut Apostolice loquamur: *Conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ tuæ, in bonitate super nos in Christo Jesu*<sup>57</sup>. Jam vero (o inenarrabile munus) ex quo ad quid perduxit? e morte ad vitam, e tenebris ad lucem, e servitute ad libertatem, ex inimicitias ad genuinam amicitiam, usque adeo ut Filii imaginis conformes redderet. Quæ hæc est ineffabilis benignitas? quæ incomparabilis amoris erga nos magnitudo, ut unigenitum Filium pretium pro nobis omnibus daret? equidem haud abs re est dicere: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus*<sup>58</sup>? Quamobrem redamemus eum qui nos amavit, pro eo moriamur qui mortem obiit pro nobis, aversi a carne atque sanguine, nec serpentis fraudibus inescati, nec vitæ voluptatibus diffluentes, nec fructu peccati degustato, unde mors profecta est; siquidem scriptum est: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio* (5), *quæ consumptura est adversarios*<sup>59</sup>. Itaque Deo cum reverentia atque observatione serviamus, vitam caute ac composite transeamus, cum discreta patientia ministeria tueamur, accurationem trahentes non in spiritalibus modo, sed etiam in carnalibus, et lignorum adustione, et aquæ effusione tenus, quorum, ut videtis, in hac insula penuria est, denique sententiam mortis habentes: nam et nunc Eudocimus (6) frater est ad Deum profectus. Sin nos obitus fratris non refrænât, ecquid tandem revocabit? Si mortis arcanum minus erudit, ecquid a noxiis affectibus compescet? Jam loquentibus nobis et de hoc atque illo consultantibus, repente dies ingruet horrenda. Sed nimirum iis horrenda est et infelix, qui ab sceleribus usurpentur, qui culpis obligentur quas haud confessi sint, male feriat, immodestis, pervicacibus, cæterum jocunda, et lenis, ac benigna Dei amantibus, virtutum studiosis: modestis, morigeris, submissis. Quapropter vos cohortor, et commonefacio, fratres, cogitationibus iis susceptis, omni ope a flagitiis absistamus, Christi in pectore philtum geramus, virtutibus perfuncti, quo sic vita peracta regnum cœleste teneamus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XIII.

*Dominica III. De mortis recordatione, deque vitæ defensione peractæ ad horrendum tribunal.*

Fratres Patresque, dies enimvero est ex iis, quæ in Resurrectione censentur, sed habendus

A mihi de morte sermo est. Scitis enim crebros alium super alium fratrum Patrumque excedere vita: id quod nihil est aliud nisi monumentum, abituros nos quoque hinc quam primum. Abimus vero non in terrena ac mortalia loca, atque regiones, sed in perennes et immaterialitas mansiones, unde ei redire nefas qui semel tetenderit. Sane cum terribilis mors est inaudita, tum terribilior ubi sub oculis teneatur: quod abhinc sex diebus in Chalchiti præfecto cognovimus, quem nacti extremum spirantem; obstupuimus factum, ut uno temporis momento et nobiscum erat, et a nobis abscessit, traditus sepulcro. Ac profecto terribilis auditio est, et insolens spectaculum. Igitur adhuc spirans beatus hanc edidit vocem: Paulum præventus sum, in eo dicto caput simul manumque commovens: modum vero haud detexit, sed nos unde hæc trepidatio, sensimus. Atque hæc dixi, non illum cavillatus (minime vero), quin me conterrens, ac vos communiens, ne quid prævertamur sub emigrationem ejusmodi vocem mittere, quin paratam et imperterritam, siquidem scriptum est: *Paratus sum, et non sum turbatus*<sup>60</sup>: quod haudquaquam consequamur, ni intenti semper, et quæ obita sunt præclare tueamur, et admissa corrigamus poenitentes, assidue sic procincti tanquam in cœlum profecturi.

Nam cui, rogo, sistemur? non judici cunctorum, atque Deo cui congenulabunt universi, cœlestes, terrigenæ, subterranei, cunctæque laudes concinent linguæ? Ecquam reddemus rationem? non omnium in vita gestorum qua factis, qua dictis, qua cogitatis? Pol mi hæc: quoties complector animo, horrorem cient, peneque adsunt coram vobis licet esse imperterritis, vobis, inquam, qui dicto audientes vos præbetis, omneque studium in obedientia ponitis: nam ea veræ obedientiæ vita est. Etenim quam defensionem sibi parabunt ad horrendum Christi tribunal qui obedientia projecta solitarii degant, qui huc, illuc obeant erronei, pedibus statum non habentes qui coempta servitia trahant? heu meas ærumnas, ut expetendum vitium est! quemadmodum retrocessere, iter ingressi vitæ monasticæ rectum! *Melius, inquit, erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato: contingit autem eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota ad volutabrum luti*<sup>61</sup>. Quid ais, bone vir? ten' servum trahere, injugem mundi, exulem, omnique carnali commercio solutum? ergo capesis tibi uxorem quoque: duo hæc enim mundo, mundanisque tributa; at qui serio vitam ineant crucigeram, ab utrisque sunt alieni. Sed, ut videtur, causa peccatum est: nam voluptatibus et auro dediti (addo et mulierosi), ne quis sit inspector, et

<sup>56</sup> Joan. xvi, 33. <sup>57</sup> Ephes. ii, 6. <sup>58</sup> Psal. cv, 2. <sup>59</sup> Hebr. x, 26, 27. <sup>60</sup> Psal. cxviii, 60. <sup>61</sup> I Petr. ii, 21, 22.

(5) Defflagratio: nam alterum illud nimium hebraizat.

(6) Addidi de conjectura, et orationis argumento.



qui in abdito perpetrata arguat, fratrem habere A nolimus, sed solitudinem, hoc est, servorum mercatum, ipsi revera peccato venditi, et carnis atque sanguinis mancipia. Hinc dissidia, hinc offendicula, hinc atroces ac manifestariæ noxæ. Hinc mœstus, atque squalidus, et qui coarguam ac contestor, audior nusquam. Sed quæ est ejus sententia? Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo <sup>62</sup>; insons sum a talium sanguine miser. Ac poteram sane omnino aciem admovere ex præcepti jussu, sed posteaquam incumbit persecutio, adhuc differo, si nunc tandem e diaboli laqueis resipiscant, qui ab eo capti ad arbitrium teneantur. Cæterum vos Deo macti, qui una insimul estis, duo, tresve, quodque amplius B est, et encomio majus, cœnobiace vitam ducitis, domi manentes, nec importune, nisi necessitas sit, prodeuntes, maxime in forum ac celebritates, invicem servientes, in eoque mundi domini, puri ab servorum sordido mercatu, cuncta ex Dei sententiâ, et ornate peragentes. Equidem vobis gratia, atque pax augetur, cœlestis Jerosolymæ bona visuris, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XIV.

*Post sancti Theodori memoriam. De vita obeunda divina, neu ad tentationes trepidemus.*

Fratres Patresque, loquendum est nobis, nec diu tacendum: siquidem taciturnitas animo somnum contrahit, somnusque auctor mortis est, quem deprecatus David dicere: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* <sup>63</sup>. At concitatus in animo sermo fons aquæ est in vitam æternam salientis: quo quid utilius? Idque sciens beatus Apostolus, inquit: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et cohortantes invicem* <sup>64</sup>. Viden' jubere eum ut invicem doceamus, ac cohortemur, nec contenti simus ipsi nos commonere modo? Equidem vero quoties ad vos dissero proficere fateor, qui me ab hujus vitæ confusione revocem, et reprehendam, ad meaque commissa attentior fiam: nam profecto D vita hæc confusio est, in quam sermone vitiosi vanæque inauditiones quotidie incumbant, diabolo quoque per contrarias cogitationes grassante. Quæ amoliri semper oportet sermone, ac conscientiam præbere puram et insontem, atque ad quid comparati sumus serio revolvere. Ad quid autem comparati sumus? Scilicet servituri vivo ac vero Deo, et expectaturi *Filium ejus de cœlis quem suscitavit ex mortuis, Jesum, qui eripuit nos ob ira ventura* <sup>65</sup>, auctoribus Litteris.

Jam nullus herum servus opperians, nec judicem reus, dormit, et quieti atque facibus indulget, quin

<sup>62</sup> Joan. xv, 22. <sup>63</sup> Psal. xii, 4. <sup>64</sup> Coloss. iii, 16. xxiii, 1. <sup>65</sup> II Tim. ii, 11. <sup>66</sup> Matth. v, 12.

vigil, et expectatus: trepidat occursum: quem iustus Apostolus demonstrans, ait: *Ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus* <sup>66</sup>. At quinam? Spiritu pauperes, lugubres, ab animo puri, mansueti, placidi, misericordes, obedientiæ jugo perfuncti, qui confessionem constantem servavere, hi cum eo sunt futuri; cæterum qui turpia committant, effrenes, qui confessionem aversentur, qui obedientiam detrectent, qui reliqua mala designent, ii nec tollentur in nubes, nec cum eo sunt futuri, quin (miserrimum) pœnas dependent, exitium perenne, Dominica facie, ac gloriosa majestate extorres, quod absit de vobis et cogitare et loqui. Igitur canendum est receptui, habendaque nobis ratio salutis, qui esse ob oculos discrimina sciamus: nam ecce præter alios et Ir. Gregorii œconomus comprehensus est, ac quid futurum sit nescimus, impendentque tentationes, ut apparet. Verum ne timeamus, neu ad ingruentes tentationes trepidemus. Quod si a nobis Deus est, quis contra nos? qui in superioribus periculis nobiscum fuit, quo pacto non et nobiscum sit in præsentibus qui stabilit, ac contra omnia firmet, ut pollicitus est? Jam quid amplius molientur hostes? Iterum persequentur? At *Domini est terra et plenitudo ejus* <sup>67</sup>. Iterum in carcerem compingent? At nihil carcere propter Christum jucundius. Iterum flagris multabunt? At plurimum coronarum auctores nobis erunt. Sin et occident, at occisus est et Dominus noster. *Si commortui sumus, inquit, et convivemus* <sup>68</sup>. Talis erat beatus ac summus Christi martyr Theodorus, cujus peragimus memoriam, cuncta ob Christum cum gaudio passus. Hac fiducia et nihili nos quoque adhuc Deo serviamus, hac spe afflictiones omnes et angustias rerum toleremus, quo cum obedientia, tum confessione cœlestis regni hæreditatem quæramus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XV.

*Post Præcursoris memoriam. Dogmatica de sanctorum imaginum cultu et adoratione.*

Fratres Patresque, heri Præcursoris memoriam feriatis omnino venit in mentem et obitæ in monasterio vitæ recordatio, ut tum cuncti in Dei domo eramus, concordés degentes, ut nunc alius alio sumus dispersi, in diversa loca atque regiones. Quanquam tum quod ob Christi sermonem sumus dispersi gaudere debemus, ex hoc præcepti mandato, *Gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* <sup>69</sup>; tum etiam quod Domini quiddam instar habemus, cujus hæc sunt verba: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem*

<sup>66</sup> I Thess. i, 10. <sup>67</sup> I Thess. iv, 15, 16. <sup>68</sup> Psalm.



*meum servaverunt, et vestrum servabunt; sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me* <sup>70</sup>; revera namque ut Judæi Patrem ignorant, qui Filium defugerint, sic Iconomachi Christum ignorant, qui ejus imaginem detractent. Equidem cum perspicua veritas est, tum intelligens unus e mille. Ac videte, sultis, bipartitam eorum sacrilegam opinionem, nunc Christi imaginem nullam depangendam, nunc depangendam, sed velut quæ belli ac venatus monumenta locantur. Unde nec adorandum censent: siquidem nec equi imago, nec bovis, nec leonis, nec pardalis, nec serpentis, nec alitis, nec piscis adoretur. Ecquis (malum) sensu imbutus est, qui non his ingemiscat? qui a lacrymis temperet? itane haud vereri imaginem Christi, quam angeli venerantur, horrent dæmones, cum feris quadrupedibus, serpentibus, avibus et aquatilibus componere ac condecorare? o horribilem animi deformationem, atque horribiliorem audaciam! Tum quid autem? hominis imaginem hominem vocant, bovem bovis, asinum asini, camelum cameli, perdicem perdicis, eademque et in cæteris tam comparibus, quam disparibus seu animantibus, seu plantis ratio valet; cæterum Christi, aut Deiparæ, aut cujusque sanctorum, neque primigenio, neque efficitie nominari patiuntur, sed hoc tantum, imaginem vocant, cujus, non addentes, ne hinc teneantur, tanta impietate et imperitia scatent. Sed vacate hic mihi, fratres, et hoc insuper ad ea quæ sancti Patres, nosque diximus nauci cognoscite. Si loca, in quibus editus est Christus, adoranda, atque sancta et sunt et dicuntur, ac pulverem inde aut lapidem nactus, ceu sacrum complectitur thesaurum, quanto magis Christi venerabilis et adoranda est imago, in qua inest, velut in speculo, qui elucet atque adoratur? Ea est enim natura imaginis, ut repræsentati gerat faciem. Quin coli Romæ et apostolorum principis, Petri, claves intelligo quanquam Dominus <sup>71</sup> ei nequaquam claves est largitus quæ sub sensum sunt subjectæ, sed quæ intelligentia tenentur, ligaturo atque soluturo. At illi argento fabrefactas, proponunt adorandas, tanta est eorum religio. Ibiq̃ue religionis quasi quoddam irruptum saxum ex Dominica sententia fundatum est, hic, ut apparet, cumulata irreligiositas, et improbitas. Quamobrem nauci hic ego cum animi mæstus, tum pœnam timens silentii, necessitate loquor quæ loquor, brevia, et perpauca. Scilicet cum sectari clam, palamque, et scripto, ac sine scripto impiam in Christum linguam moveant, nos domi resides non serio inter nos negotia tractemus: et qui Domini feremus iram? quo pacto imitabimur Patres, qui in similibus temporibus subticere, et percelli, prodicionem censebant veritatis? Loquendum est ergo, audiendumque, et sermoni juxta ac operibus vacandum; etenim beati Apostoli non solum divino præconio, sed inculpata quoque vita

A terrarum orbem vicere, tenebriones illustrantes fatuos salientes, peram modo, baculumque portantes. Quos æmulati, fratres, utrinque laudem quæramus, præsentibus contenti, non pecuniis dediti, sine prædiis (quod non vestra equidem causa, sed erronum dixerim) non intempestive prodeuntes, non feminas contubernales habentes, unde mors conflata est. Quam si vitæ rationem sequemur, et Deo per nos gloria, ac confessioni, quæ præ manibus est, celebritas paretur, et hostes jam jam verecundia ad frugem sint redituri: sin minus sequemur, periculum est ne pro beatitudine perennes pœnas referamus. Cæterum pacis Deus, qui omnia convertit, atque in melius distingit, tum Ecclesiam componat, tum vos imbuat prudentia, cunctosque in cœleste regnum conservet per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XVI.

*In æstatis initium. De vitiorum carnificina et spiritali messe.*

Fratres Patresque, æstas agitur, tempusque est laborum ac sudorum: nam prodeunt mortales ad opus, functionemque suam in vesperum, obstipi, rective, utcunque expedit: nec quietem sibi permittunt, dum messis sit, ac tritura peracta, quæ præ manibus sunt in horreum semina congesta. Quid ergo hic dicere est? nimirum si in carnalibus sic res habet, multo magis in spiritualibus necessario theorema habere, proposita est enim et nobis æstas. Quo pertinet Apostoli dictum: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet* <sup>72</sup>. Domini quoque ad discipulos hæc sententia est: *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem, et qui metit mercedem accipit: et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit* <sup>73</sup>. En objectam nobis messem.

Quamobrem prodeamus alacres nos quoque, messuri, ac fructus congeramus, non carnales, sed spirituales, et qui perennes durent; sanctimoniam, pacem, charitatem, gaudium, lenitatem, tolerantiam, benignitatem, mansuetudinem, cæteras omnes virtutes. Hi spiritus sunt fructus, quos per habitum, quo discernamus, tanquam ventilare necesse est, hoc est, virtutem impermistam vitiis parare (exempli causa, amare, ac non voluptarie; æmulari præclara, at non invidere; de fratre loqui, at non hostiliter), potiusque sincere exsequi Dei voluntatem, *bonam, bene placentem, ac perfectam*, uti scriptum est <sup>74</sup>. Sin oportet in horreum quoque conferre, hoc illud est nimirum quod humilitate quæritur præsidium, siquidem jubet Dominus: *Cum feceritis omnia, dicite: Servi inutiles*

<sup>70</sup> Joan. xv, 20. <sup>71</sup> Matth. xvi 19. <sup>72</sup> II Cor ix, 6. <sup>73</sup> Joan. iv, 35, 36. <sup>74</sup> Rom. xii, 1.



sumus, quod debuimus facere fecimus<sup>75</sup>; rursusque ait Apostolus: *Quid habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*<sup>76</sup>? Hæc ea est messis, tantaque proposita contentio est, quæ non duobus, tribusve mensibus spectetur, quin ad vitæ se exitum tendat: tametsi comparata ad sæculum futurum, instar ducitur unius dieculæ. Ibi porro finis est nullus, ibi labores manuum suarum quisque comedet, ibi occabimus in præpotente ævi arbitro et hero: tantum adhuc membra hæc terrena perimamus, stuprum libidinem, impudicitiam, pravam cupidinem, avaritiam; tantum obedientiæ adhuc jugum feramus, benevole alter alterum susinentes, oneraque mutua portantes, ac sic Christi implentes legem, quemadmodum scriptum est<sup>77</sup>. Felicem vero qui cuncta præ cautione veretur; felicem qui plurimum contendit: ubi est enim major contentio, majus quoque et præmium est. Ac qui ministerio postremas deposcat, is primas auferet, quippe ait Dominus: *Qui in vobis vult esse summus, sit omnium postremus et omnium minister*<sup>78</sup>. Sic Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro cunctis<sup>79</sup>. Hæc cum, fratres, cogitemus, tum agere propereamus, vocem hanc inaudire: *Euge, serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*<sup>80</sup>: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XVII.

*In æstatem. De spiritali messe contentaque Christi famulorum exercitatione.*

Fratres Patresque, anni tempus est æstivum, ut videtis, passimque surgunt ad comportanda grana coloni, nec contentus labor, aut sol deflagrans opificem frangit, quin matutinus in vesperam decertat, nunc obstipus, nunc rectus, dum opus peragat, incumbens. Quid nos vero, qui famuli nuncupamur Christi? ecquid æstatem habemus? Pol saue quidem, ac cujusmodi Dominus noster Jesus Christus discipulis ostendit in hæc verba: *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem, et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit*<sup>81</sup>. Igitur apparet ex dictis et sementem nobis, et messem propositas, neque eas tempore descriptas, quin juges ac perpetuas.

Metamus ergo hinc jam, fratres, alacriter, hoc est, doctrinam doctor; studium præfectus, ministerium minister, obedientiam subditus, quietem quietus, contentionem precarius, cuncta in omnibus cuncti, quoad ejus fieri potest. Scelus est

A operarios carnales promptos opificia tractare, nos spiritalia studia segnes atque dissolutos adire; illos sudore fluentes a laboribus non abstinere, nos contentionis monasticæ fastidio duci. Annon objectum cœleste regnum est? an non vita perennis? annon ineffabile gaudium? Ecquid fas est ignavos summa et expetenda parare? nequaquam. Ut evigilandum sit omni ope, metendumque, non caduca ac mortalia, sed æterna, et immortalia, quo in nobis hoc usurpetur quoque *labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit*<sup>82, 71</sup>. Ne quis dicat, *Æger sum, nec metere queo: æger es corpore, at spiritu siquidem vis, qui bono fungare vales. Lacrymas habes, compunctionem habes, excubias mentis habes, pacem habes, ac sanctimoniam, quæ in primis Deo cara sunt. Ne quis dicat: Afflictus sum, neque possum in pedes consurgere; velis modo et te surriget qui suscitavit a terra inopem, et de stercore erigit pauperem. Nunquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est non revertetur*<sup>72</sup>? vivo ego, dicit Dominus: *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat*<sup>74</sup>. Ecquis est ergo prætextus serius relictus, quæ plausibilis defensio, quominus omni studio quæ jubemur obeamus, bonisque quæ promissa sunt, potiamur? En laboravere sancti nostri Patres, consevere, messuere, vitam in horrea perennem congressere, ac nunc ovantes supremæ representationem lucis expectant, in qua uti sol micabunt. Quapropter ne committamus, fratres, cohortor, ut a beatis illis separemur, ne brevibus et exiguis diebus, atque voluptatibus salutem prodamus, supplicium luituri immortale: sed quantum pote, certatim eos assectemur omnia ferentes, omnia sustinentes, quo cœlestis regni hæreditatem cernamus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem, Amen.

#### SERMO XVIII.

*In æstatem. De aversandis quæ in hac vita sint jucunda, bonisque ambiendis perennibus.*

Fratres Patresque, frangit æstivum anni tempus corpora, labefactante insuper et pervigilio, ac fortasse ad Catechesis inauditionem torpemus. Sed profecto ex Apostoli edicto vitam jussi comparare ceu quotidie obituri, obituroque Libitina loquente, et attentos auditores reddente, age nos quoque audire satagamus, quasque testamento legendo iis quæ dicantur accendamus.

Igitur testamentum est rerum quæ in carne positæ sunt, utpote carnale et quo de carnalibus jubetur, id est, hæreditas relinquatur uxori, liberis, fratribus, cognatis, ac si quid aliud mos præscribere est: cæterum hoc nostrum nihil ejusmodi declarat, sed quidnam? hospites nos esse in hoc solo, atque peregrinos, et qui in hunc orbem intulerimus

<sup>75</sup> Luc. xvii, 10. <sup>76</sup> I Cor. iv, 7. <sup>77</sup> Galat. vi, 2. <sup>78</sup> Marc. ix, 34. <sup>79</sup> Marc. x, 45. <sup>80</sup> Matth. xxv, 21. <sup>81</sup> Joan. iv, 35, 36. <sup>82, 71</sup> Psal. cxxvii, 2. <sup>72</sup> Psal. cxii, 7. <sup>73</sup> Jerem. viii, 4. <sup>74</sup> Ezech. xxxiii, 11.



nihil, proculdubio neque efferre aliquid posse, diffingique e caducis in incorruptos, ex ingloriis in gloriosos, e mortalibus in immortales.

Ut non erraverit qui id testamentum bonum nuntium vocet : siquidem et Apostolus multis partibus præstare censet [discedere] *dissolvi, et esse cum Christo* <sup>75</sup>; et alibi rursus : *Ego enim jam labor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex. Non solum autem mihi, sed et cunctis qui diligunt adventum ejus* <sup>76</sup>. Videtis, ut hinc discessum velut bono nuntio prædicet? itaque cum hoc nostrum testamentum bonum nuntium sit, libenter audiamus quæ dicantur, et alacres exercitationem tueamur, animo ad carnalem nullam affinitatem converso, non ad parentes, non ad fratres, non ad cognatos. Et quid autem hæc illaque commemoro? ne ad ipsam quidem rerum naturam animus conferendus est. Enimvero quidam sanctorum Patrum, ubi cella prodiret, tegumentum capiti imponebat, ne aciem in solis jubar intenderet, causamque rogatus respondit : *Equid est cur temporarium lumen videre velim? Ad eundem modum et Dei studiosus, cunctis dimissis, solo divino amore et contemplatione nititur, ac cum oculis usurpet universum hoc omne, quod eis cælum pertinet, Opt. Max. molitorem Deum admirans, ac collaudans, tum ocium præteritis, quæ sub sensum subjecta, in iis est quæ defugiant obtutum, qui hinc, suaviter bacchatus, spiritale quoddam gaudium, et lætitiâ carpat. Talis erat patriarcha Abrahamus : scriptum est enim : Fide Abraham demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem; expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor, Deus* <sup>77</sup>. Talis et magnus ille Moses : nam *fide reliquit Ægyptum, non veritus iram regis, invisibilem enim tanquam videns sustinuit* <sup>78</sup>. Tales et sancti omnes, nequaquam quæ cernerentur spectantes, nec cupiditate ducti temporalium, sed æternorum, in his, quantum plurimum potest, ad divinam imitationem deformati. Quod nos studium quoque paremus, nec quæ pulchra sint in hac vita ambiemus, nec carnaliter viventes demirabimur, quin iis potius altum ingememus, qui promissorum hæreditate bonorum condita in auro, argento, ac pestiferis voluptatibus operam ludant, ultro in præclararum rerum cæcitatem se induentes. Cæterum nos, fratres, ut apostolice loquar, *revelata facie gloriam Domini speculantes* <sup>79</sup>, supera quæramus, supera sapiamus ubi Christus est, ad Dei dexteram considens, ut de nobis quoque usurpare liceat : *Vos non estis de hoc mundo* <sup>80</sup>, et *Vestra conversatio in cælis est* <sup>81</sup>. In qua et sistamur indemniati sub re-

munerationis diem justique Dei judicii, ad horrendum Christi et indefraudabile tribunal, optandam vocem audientes, ad regnumque cœleste asciti per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XIX.

*Post sanctorum apostolorum Quadragesimam. De tolerantia, et iis qui renuntiatum veniunt admittendis.*

Fratres Patresque, abit tempus, ac decurrit. Quin præterit sanctorum apostolorum Quadragesima, simul præbitis ærumnis, ob contractam æstusitum, simulque solatio, ob spem : nam ea sitis potum nobis conciliat immortalitatis et quæ ori amarities siti quæritur paradisi dulcedinem parabit. Atque id scientes, fratres, cuncta quæ secundum Deum incidunt acerba læti spe præmii feramus. Cæterum spes quæ videtur, ut fert Apostoli dictum, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per tolerantiam expectamus <sup>82</sup>. Itaque tolerantia virtutum summa perfunctio est. Tolerantia martyres cœlestibus devincti diadematis sunt, tolerantia sancti justitiæ præmium tulere. Quapropter utamur nos quoque tolerantia ad morigerationem, humilitatem, lenitatem, exercitationem in ministeriis, omniaque obedientiæ studia, ac parem iis mercedem capiemus. Equidem non me fugit obedientiæ jugum nec qui sit frangendæ labor voluntatis; sed dulcedinem quoque rursus teneo vitæ : nam qui voluntatem frangat ei cum iter facillimum, tum nullo negotio salus quærat. Vacandum est ergo voluntati frangendæ, ac vita consequetur felix, et expedita. Obeuntur in cœnobio labores? at requies quoque. Plus altero laboras? at majus præmium habebis : siquidem *Unusquisque, inquit, mercedem suam accipiet secundum suum laborem* <sup>83</sup>. Alteri benevole succumbis? primas tenebis : nam *Qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus* <sup>84</sup>. Imbecillior es quam ut opera tractes graviora? at quæ putes ne negliges, quo in cunctis laudetur Deus. Ne quis esto ad bonum commune segnis. Hæc quanquam sunt persæpe memorata : tamen nunc quoque necessario in memoriam revocantur : neque enim est exiguum incumbens certamen. *Ecce posui, inquit, ante faciem tuam vitam et mortem* <sup>85</sup>. Igitur vitam arrepturis mortemque æternam fugituris comparatus sermo, et exhortatio est neque dubium mihi est nequaquam hæc vel nihili nobis, vel vobis qui inaudit frustra, ac sine compendio dicta. Enimvero admonendi estis, fratres, quantumvis in exilio versamur ob Dei sermonem, nihilominus quasi qui in monasterio degamus, renuntiatum venientes non amandemus : id quod per fratres ubique dispersos præstabimus, jussos ejusmodi, quantum potest, admit-

<sup>75</sup> Philipp. 1, 23. <sup>76</sup> II Tim. iv, 6, 8. <sup>77</sup> Hebr. xi, 9, 10. <sup>78</sup> ibid. 27. <sup>79</sup> II Cor. iii, 18. <sup>80</sup> Joan. xv, 19. <sup>81</sup> Philipp. iii, 20. <sup>82</sup> Rom. viii, 25. <sup>83</sup> I Cor. iii, 14. <sup>84</sup> Matth. xx, 27. <sup>85</sup> Deut. xxx, 19.



tere, atque in contubernium cooptare. Sane cum A decessere multi, tum allecti quoque sunt multi, cœtusque noster, tam defunctus quam superstes, frequentatur, ac per nos cohonestatur Deus, qui et nos cohonestabit, ut fert promissum. Ac cum qui est rector si sint et subditi, cohortor, caput cæteris, et tanquam regula statuti, sancte, juste atque pie vivamus, qui alios per nos ad sanitatem qua doctrinæ, qua vitæ dirigamus. Itaque clamor nullus obitor citra decorum, neu contentiosum colloquium, neu putidus sermo exiens ab ore, sed honestus, ad exædificationem frugi et utilis, ne quod opæri nostro per ea crimen confletur, quin Domino Deo nostro in omnibus placeamus: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XX.

*In Transfigurationem. Oportere nos animi pulchritudinem atque venustatem sine macula tueri: de qua pœnitentia.*

Fratres Patresque, hodie qui profestum agamus Transfigurationis divinæ, age, ex ea Catechesim struamus, paucis debitum verbis exsequentes. Igitur cunctæ seriæ Dominicæ corporalis degressus Servatoris nostri Jesu Christi suggerunt arcana, puta, quod editus sit in lucem, quod tinctus, quod crucifixus, quod sepultus, quod tertia die suscitatus, quod assumptus gloriose; cæterum Transfigurationis festum futuri ævi statum depingit. Nam quemadmodum ejus facies ut sol reluxit, vestimentis lucis instar candentibus, haud secus et e cœlo quasi fulgur venturus est, præpotens, et illustris, omnibus judicandis, atque ut ei comites in sacro monte fuere Petrus, Joannes, et Jacobus, ita socii quoque sunt electi in cœlesti regno futuri, arcana apparitione divina, et ineffabili gaudio fruentes. Jam quis ad hæc comparatus est? quis ad eam lætitiâ pervenire dignus? Quis alius, putas, nisi qui vitam habeat puram ac sine macula? siquidem Deus noster, purus cum sit, seu potius lux suprema, etiam puros asciscit; animoque nobis puro indito, purum eum quoque a nobis exiget: nam ad imaginem divinam et effigiem creatus, dubium non est quin, qui simulacrum sit divinæ pulchritudinis, præditus sit et ipse pulchritudine. Atque id intelligens Melodius ait: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*<sup>86</sup>: hoc est, animi mei decori, ne ad fœdas peccati libidines pronus, deformis redditus, Deo ac præmiis excidat divinis. Ergo explorare cognito talem nos animum tenere, pulchrum et formosum, quasique depositum Deo reddituros in suprema resurrectionis die, hortor ac admoneo, sane amemus pulchritudinem, hanc formositatem tueamur, nequaquam ad hujus sæculi bella, et carnis, atque sanguinis venustates conversi: neque enim sunt venustates, sed venustatum simulacra,

seu, ut verius dicam, corruptela ac mutabilitas. Atque id rerum nos exitus docebit: nam qui hodie lepidus est et elegans, cras in sepulcrum conjectus, foetidus, atque omnibus dirus est: adeo pulchrum est, ac amabile nihil, solaque venerabilis virtus. Quæ in primis consecranda, fratres: sin animum subinde claudicantem contingat fœdis cogitatis polui, quod negandum non est (nam quis castam habere mentem gloriatur?) at repurgandus quam primum, et in antiquum statum reducendus est, ne sceleri immoratus contrahat mortem. Neque si dicat quisquam expurgari nequire, multis facinoribus compunctum, quin audiat dicentem: *Si fuerint peccata vestra ut puniceum, quasi nivem dealbabo; si autem fuerint sicut coccineum, velut lanam dealbabo*<sup>87</sup>. Videte ingens Dei beneficium, ut pœnitentem non expurgare pollicetur modo, sed ad florem quoque venustatis perducere. Neque obscura sunt exempla. David vates erat, lapsusque in adulteriî et homicidii crimen, haud despondit animum, quin ocus pœnitentia usus, iterum vaticinium munus recepit. Manasses Israele duobus et quinquaginta annis (6) demoto ad frugem reversus, salutem est consecutus. Apostolorum coryphæus post abnegationem lacrymarum medicina rursus apostolatus tulit onus. Maria Ægyptiaca, ut alios præteream infinitos, quæ ad extremam molliem evasisset, posteaquam condigne se dejecit, ut ad summum virtutis culmen conscenderit tenetis. Itaque servari volenti impotentia prætextus nullus est nisi quis deploratus ultro se induat in mortem. *Sed cur te is perditum, Israelis genus*<sup>88</sup>? audimus: cur vita proposita perenni, æternam mortem præferimus? Clamat quotidie benignus noster Herus: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*<sup>89</sup>, et nos onus abjicere peccatorum nolumus. Idem vociferatur: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*<sup>90</sup>, et nos in diversum abimus, rebus ipsis testati, Iter tuum scire nolumus. Reliquum est ergo audire nos: *Ambulate in lumine ignis vestri et in flamma quam succendistis*<sup>91</sup>: atqui hæc patran- tes, ait ille, *regnum Dei non consequentur*<sup>92</sup>; sed hæc absit de nobis dici. *Vos enim amici mei estis, inquit Dominus, si feceritis quæcunque præcipio vobis*<sup>93</sup>. Igitur quæ jubemur omnia faciamus, unde amici nominemur, quo cœleste regnum erciscamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXI.

*In mortis recordatione: in quo et de obitu Michaelis sanctissimi metropolitani Synadensis.*

Fratres Patresque, cum multæ celebritates in hoc ævo aguntur, divinæ et humanæ, tum una est

<sup>86</sup> Psal. xxix, 8. <sup>87</sup> Isa. i, 18. <sup>88</sup> Ezech. iii, 17. <sup>89</sup> Matth. xi, 28. <sup>90</sup> Joan. viii, 12. <sup>91</sup> Isa. l, 11. <sup>92</sup> Galat. v, 21. <sup>93</sup> Joan. xv, 14.



longa ac laboriosa, vitæ hominum ejusque curriculum: a qua profectus, porro obeas nullam, sed necesse sit diem ultimum manere, ignemque supremum, qui nostra omnia judicet, et expurget. Hac perfunctus et spiritalis pater Michael, sanctissimus metropolitanus Synadensis, ad Deum concessit: cujus et laudata vita, et illustris sermo est, eumque credimus inter cæteros Patres ac confessores ad Deum opitulatorem habere in confessione præsentis. Quamobrem haud triumphant cum animis infausti Iconomachi, defectos gloriantes Christi confessores, quin cognoscant insuper horum decessum Dei Ecclesiæ inconcussum haberi, nobisque superstitionibus veri confirmationem, errore eorum cæco despuendo. Ac dum per charitatem operata fides salutem homini quærat, cohortor nunc quoque, ut alias semper, Dei exsequi præcepta, ad iterque esse procinctos, ob incertitudinem mortis: scitis enim et prædictum Patrem correptum repente æcribus doloribus, et ignea feбри, postridie fandi impotem, tertio die spiritum reddidisse. Quin ante eum et Athanasius, insignis Paulopetrii præfectus, nec diem ægritudini suffecit, sed ex hominibus e vestigio est sublatus. Audimus vero et nonnullos fulgure præventos desflagrasse, multosque omnino easus inopinos. Quapropter timendum, et animus arrigendus est, diabolo de die in diem nos lactante, dum adducat in auxiam illam supremam horam, in qua frustra et iners sit studium pœnitentiæ. Igitur non vos exterrent prædicta exempla, non horrore compleant, cogitantes ut cum lingua divincta eloqui nequit, ut animus e corpore revulsus exit? cum multi astantes forsitan, ac plorantes, opem ferente, nisi bona conscientia, nemine.

Quare admoneo, et obtestor: horam eam prævertamus confessione, lacrymis, comprecatione, obedientia, submissione, contento ministerio, omni denique honesto instituto, ne socordia, ac segnitie præventi, æterna morte sopiamur<sup>24</sup>, quod sanctus David deprecatur. Sed fortasse dicet aliquis velle se, neque posse. Et quæ hæc (malum) est insania? nam si in iis posita sunt quæ naturam superant, equidem fateor quoque haud fas esse in aerem subvolare aut inambulare super æquor, quin nec loqui naribus, nec odorari lingua, quæ inusitata, atque a natura sint aliena. Sin in iis quæ cum natura sunt conjuncta, in nostraque voluntate sita, mendax oratio est. Ut enim possumus diffundi ac ridere, ita contrahi quoque, atque lacrymari; ut vitiosis libidinibus, ac scædarum cogitationum commercio pollui, ita lustrari et a vitiis expurgari; ut obdurescere, ac sceleribus insistere, ita ad frugem redire, et compungi. Sed nefaria libido, habitu in nobis contracto, cum ad virtutem imbelles, tum in vitia valentes reddidit. Nec desperandum est tamen (minime gentium), quin denuo incipiendum opera-

que danda ne quem diem horamve temere transeamus; sed intenti atque vigilantes, lustratique ac purgati, cum Deo copulemur, ut nobis quoque usurpare liceat, *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua*<sup>25</sup>, ac sic egregie quæ hic obeantur decursis, cum spe bona profecti, cœleste regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO XXII.

*De obitu Joannis, sanctissimi metropolitani Chalcedonis, et quemadmodum rediviui invicem agnosceremus.*

Fratres Patresque, superioribus aliquot diebus peregrinati ac reversi, pacem inter vos agentes, et compositos nacti, grates egimus Deo qui in modestia vestra gauderemus, id quod est proborum obedientium, ac stabilium in honesto; in quo et confirmemini magis magisque Domini nostri Jesu Christi beneficio, ut quemadmodum in nihili nostra præsentia, sic in absentia quoque indemnes vos, et sine noxa conservetis. Discessus vero causa, uti scitis, obitus erat Joannis metropolitani Chalcedonis, qui præclaro certamine decertato, cursu peracto, fide servata, abiit ad Deum parta illustri confessionis corona cum decessoribus nostris sanctis Patribus ac fratribus. Sed quoniam scitentibus pustulis decessit, ambigunt quidam an probe. Quid ni obierit probe? Atque equidem laborare ii mihi ignorantia videntur: nam, probe, an improbe? nequaquam in hoc vertitur, sic an sic defungare, sed an orthodoxam fidem et inculpatam habeas vitam. Quæ qui teneat, quantumvis scitentibus pustulis, quantumvis alio quocunque morbo vexatus, sive in terra, sive in mari expiet, nullam hinc contrahat infamiam: hæc enim non in arbitrio sunt nostro, quin posita in exploratis Dei judiciis, qui novit quo pacto quod in rationem sit cujusque tam vitæ prorogatione, quam mortis genere administret. Jam in alio nonnulli disputant ad audientium fraudem, minime se agnituros homines redivos, cum Dei Filius cunctis judicandis advenerit; aiunt quippe: Scilicet mutati e caducis in incorruptos et immortales cum Græcus, Judæus, Barbarus, Scythæ, servus, liber, mas, femina non erit, omnesque instar erunt geniorum, mutuo agnoscamus? Sed in primis respondendum quod nefas sit penes homines, id penes Deum fas esse: nam ad eum modum nec resurrectionem fatebimur, humanis rationibus subnixi. Qui enim potest diffluxum corpus, ac fors depastum a feris, seu alite seu pisce, atque id quidem multimodis et in seriem, supremo in die simul cogi? et tamen arcana Dei potestate tum cogetur, ac resurget, tum animus suum quisque corpus, qui cum vixit, agnoscat.

<sup>24</sup> Psal. XII, 4    <sup>25</sup> Psal. LXII, 9.



Quod si suum, dubium non est quin et proximi A noverit. Tuta autem futurum iudicium hac opinione tollitur; nam iudicium in personis cognitio obitur. Nemo enim qui se non noverit trahit in iudicium, sed quos noverit, quemadmodum scriptum est: *Arguam te, et statuum contra faciem tuam peccata tua*<sup>96</sup>. Igitur si mutuo non agnosceremus, nec iudicabimur, cæterum non iudicati, nec quæ in vivis promerimus feremus. Jam qui implebitur hoc Domini ad apostolos dictum: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*<sup>97</sup>, si quos iudicabunt non agnoscent? Quo pacto autem et beatus Jobus duplos liberos est recepturus, si in cælesti regno eos non agnoscat? siquidem partim hic recepit, partim promissum est fore ut consequente sæculo reciperet. Et alioqui sanctus David iis verbis<sup>98</sup>: *Frater non redimit, redimet homo? fratrem ostendit agniturum fratrem*. Ergo undique collectum ac constabilitum est stultum esse id problema, et impietate par Origenis fabulis. Verum nos, fratres, etiam atque etiam credamus et resurrecturos et incorruptos futuros, et agnituros mutuo, non in corruptelæ quibus præditi sumus, idiomatis, sed pulchritudine affecti incorrupta, secundum arcanam Dei voluntatem, uti et majores nostri in paradiso, qui et ante transgressionem se agnoscebant incorrupti, et post transgressionem æque sub corruptelam subjecti. Sed hi aliter, aliter illi. Unde credendum fore ut fratrem agnoscat frater, liberos pater, uxor maritum, amicus amicum, addo et monachus monachum, confessorem confessor, commilitonem martyr, apostolus coapostolum, cuncti cunctos, quo omnium in Deo lætum domicilium sit, inter cætera beneficia notitiam quoque inter nos largito. Itaque cohortor, fratres, cum fidem constantem tueamur (nam quot diverticula videtis, quantæque habendæ Deo gratiæ quod errore obstricti nullo, fidem orthodoxam tenemus), tum sine macula vitam: scitis enim quemadmodum in nos spiret noctu et interdiu diabolus. At valebit nihil, fide ac amore in Deum reprensus munitos. Quamobrem adhuc stemus, et aufugiet a nobis draco; lacrymemur, et ignea ejus tela voluptatum extinguemus, succumbamus sub præpotentem Dei manum et nos D eriget: perseveremus ad extremum, et abscedet diabolus, ac nos in cæleste regnum evademus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXIII.

*In appetentem sanctissimæ Deiparæ obitum. De spiritali quæ hic agatur celebritate regnoque acquirendo cælesti.*

Fratres Patresque, celebritates hic, illic pro tempore aguntur, uti et nunc Nicomediæ, ad quas confluant mortales vendentes et ementes, sed id

<sup>96</sup> Psal. XLIX, 21. <sup>97</sup> Matth. XIX, 28. <sup>98</sup> Psal. XLVIII, 8. <sup>99</sup> Luc. XVII, 21. <sup>1</sup> Coloss. III, 14. <sup>2</sup> Matth. XI, 45, 46. <sup>3</sup> Psal. CXIV, 7.

quidem aliquantisper rursusque solvuntur: cæterum quæ in animo posita est celebritas, una est, neque solubilis, quæ se cum cujusque porrigat vita, qua non aurum, non argentum, non vestes, non aliud fluxum ac caducum nundinemur, sed animi salutem, vitam sempiternam, cæleste regnum. In qua cum hominibus omnis ponenda opera sit plerique de ea parum sunt solliciti, omnemque studium, ac industriam in perituris, et inanibus consumunt. Enimvero nos, fratres, a scopo, ac præclaro mercimonio non aberremus, quin audientes Dominum dicentem: *Regnum cælorum intra vos est*<sup>99</sup>, diligenter id quotidie paremus, non aurum nec argentum solventes, sed fidem genuinam, vitam purgatam, morigerationem, tolerantiam, submissionem, lenitatem, et quæ perfectionis quoddam quasi vinculum est, charitatem<sup>1</sup>. Id adeo docet in Evangeliiis Dominus in hæc verba: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam*<sup>2</sup>. En estis vos autem belli mercatores, qui, omnibus dimissis, ac præ cunctis, pulchrum atque pretiosum unionem redemistis, hoc est Christum, tollenda cruce, et eo pone sequendo, ineunda sanctimonia ac probitate. Jam vero cum celebritas tempus sit hilare, ac vigil, et excitum, hilares simus nos quoque, et exciti in hac celebritate, fratres, qui salutem mercemur. Igitur egregius nundinator est qui cuncta præ cautione veretur, nusquam concitatus, egregius emptor est qui infamiam bonis verbis commutat<sup>3</sup>, egregius artifex est contractus, qui sanguinem repudiat, ac spiritum præcipit, obeundo continere ministerio. Ac quoniam in ministerii mentionem incidimus, cum amplexemur eos qui in coquina diurnum demensum instruant, ceu plus laborantes oneraque mutua portantes, ac sic legem implentes cantatis, tum qui procurent in commune quæ usus, et necessitas ferat, ut eximios, probosque, ac in Domino œconomos. Neque aversemur quoque qui in psalmodiis chare et excite concinant, velut præmio majore dignos. Ac videsis cujusmodi sit vita nostra, quod institutum? felix mercimonia, quod peralacres sancti Patres sunt secuti, eoque et nos rite obito ac peracto, læti domum revertemur, ex hac beati Davidis sententia: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*<sup>3</sup>. Quam nos quoque sub obitum cuncti supremam, et tanquam peregrinam vocem rumpamus, vitamque sempiternam ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXIV.

*Prima indictione. De inexcusable Dei beneficio, et amore erga eum ac diaboli odio, deque submissione.*



Fratres Patresque, anni jam primus est ingressus, quo felix nuntium legitur in hæc verba : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum*. Igitur unigena Dei Filio propitiatore in orbem a Patre misso, et cæci videamus, et captivi liberemur, et confracti dimittamur. Ecquis est autem cæcus? qui voluptatum studio cæcutit. Quis captivus? qui præ foedis cogitationibus est invisus. Quis confractus? qui sceleribus protritit. Quos equidem curat Dominus : neque enim corporum tantum, quia animorum quoque medicus est, nec tum aderat solum corporatus; sed adest et nunc, obtutum fugiens oculorum, qui eadem læta nuntia vulget, mundique auferat noxas, morbo omni a languore sanando. Itaque ne quis emaneto expers Incis, et medelæ, quin fidens adito, Dei sensurus beneficium, sui que liberalitatem Servatoris. Ergo nihil nos (o humanitatem inauditam!) protulit in lucem, collapsos iterum erexit, tertium munus largitus est, perfectionem monasticam, jam peccantes insuper nec tum aversatur quidem, sed asciscit, afflictos confirmat, mœstos solatur, currentes delinit, fractos instaurat, lætos persanat, in Orci fundum lapsuros puniens benigne eripit periculis, ut merito haud abs re quisquam dixerit : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*<sup>4</sup>; et : *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me*<sup>5</sup>. At norunt singuli in quas tentationes sunt prolapsi atque ut clementem Deum in ærumnis opitulatorem sint evestigio nacti. Adhæc famelicos, quod attinet ad corpus, annuis terræ frugibus pascit, quod ad animum, sacris mysteriis, cura præmatre ac nutrice prosecutus, et amice complexus : nam mater lacte aliquantisper alit infantem, hic verus noster, et herus, parens, suum corpus atque sanguinem in cibum ac potum impertitur, idque perpetuo. O impervestigabilem bonitatem! o inexsuperabile munus! ergon' possumus non eum amare, atque colere, et irrevulse cohærescere? Pol nisi affecti simus, conclamabit in nos cælum, terra

ingemiscet, ipsique nimii stuporis lapides accusabunt. Quod ne fiat, amorem erga eum firmum tueamur, jure exosi, et adversati diabolum : nam ut beneficis competenter pro beneficio diligitur ac amatur, sic malignus pro suis æque facinoribus odio sit habendus. Quippe hic ille est vitæ nostræ pernicies, atque ab initio homicida<sup>7</sup>, ut fert Domini dictum, hic ille est, qui genus humanum in mille sententias distraxit, multisque vitiorum sauciat telis, et orbem terrarum deglutire cupit : in quem si odium non conferimus, nec inveniri sup-

placium potest castigans, ut meremur, qui hosti ac sicario jungamur. Sed ab eo fugiamus, fratres, fugiamus quam longissime. Et quæ est autem fuga? pravatum qua cogitationum, qua actionum abstinentia, ut cum Deo contubernium, bonorum operum perfunctio est. Quamobrem asciscamus bonum, cum omni submissione, mansuetudine, modestia Dei servientes, haud ignari inane esse quidquid præclare obeatur, cui non præsidio sit submitio. Igitur qui inflatam animi mentem, teneamus, sub præpotentem Dei manum succumbamus, ne frustra cucurrerimus, quin macli omnes festinemus, persequamur, ruamus adepturi, quo cœleste regnum ereiscamus per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXV.

*In vindemiam, ne vitiorum spinas atque tribulos edamus, sed virtutis botros fructificemus.*

Fratres Patresque, equidem quid assidue loquar, quidve afferam novum præ iis quæ a sanctis Patribus dicta teneamus, nihil nisi ea ipsa repetere, vobisque de iisdem disserere, in melius dux et prævius. Igitur agesis, hodie pauca quoque complectamur, ac si videtur, ex iis quæ in manibus sunt sermonem contrahamus. Ergo adest vindemia onustique fructu palmites, læti atque fausti, rari ac maligni, tristes sunt et ingrati. Hæc quid ad nos vero? dicat audientium quispiam. Pol quadrant perbene, siquidem et nos tropice Dei vinea vocamur. Ecquid fugit vos carmen quod repræsentatione gerenda decantatum est? annon hoc incinimus omnes? *Respice de cælo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua*<sup>8</sup>. Domini quoque in Evangeliiis hæc sunt verba : *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*<sup>9</sup>. Itaque maneamus, fratres, in benigno Hero nostro, ceu ab eo quædam quasi vites consiti, eique virtutem tanquam botros fructificemus, quo felicitemur neu edendis vitiorum spinis, atque tribulis, teneamur hac sententia : *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excinditur, et in ignem mittitur; excinditur inquam, per mortem, et in ignem mittitur*<sup>10</sup>, scilicet perennem, in quem conjicientur qui turpia patrarunt, qui foedus projecere, qui corruptelæ sua dedere corpora, *nubes sine aqua, ait ille, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ bis mortuæ, eradicatæ, fructus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus caligo tenebrarum servata est in æternum*<sup>11</sup>. Quare Apostolus clamat : *Fugite fornicationem : omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam*

<sup>4</sup> Isa. LXI, 1, 2; Luc. IV, 18, 19. <sup>5</sup> Psal. XCIII, 17. <sup>6</sup> Psal. CXVII, 15. <sup>7</sup> Joan. VIII, 44. <sup>8</sup> Psal. LXXIX, 16. <sup>9</sup> Joan. XV, 5. <sup>10</sup> Luc. III, 9. <sup>11</sup> Jud. XII, 15.



*membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? empli enim estis pretio* <sup>12</sup>. Ergo cœlum non reveremur, atque terram, qui pretioso Christi sanguine coempti terga vertamus, ac repedemus? non nostri nos pudet pigetque, qui foris sancti videamur intus pleni fœditatis? quoad utroque genu claudicamus? quousque unum iter non insistimus, *Væ*, inquit, *duabus viis ingredienti* <sup>13</sup>, vitiorum puta, ac virtutis: hæc enim nulla mutua consuetudine tenentur. Nemo addictus servus partim hero, partim hosti serviat. Integros nos Deo, filii consecremus oportet: nam sic vitæ reddamur divinæ compotes. Quamobrem ne immoremur in sensilibus, ceu brutæ animantes, sed facultatibus animi cœlestia tueamur, sensus torquentes a caducis atque fluxis ad incorrupta, et imperdita, neu committamus ut cogitationum fraudibus ab artifice scelerum denuo fascinemur, quin ubi voluptatem, seu quod aliud flagitium serat, evestigio exigendus veterator est. Quo pacto? precibus, supplicio, lacrymis ac compunctione. Atque hæc ea est inaspectabilis lucta tantumque implacabile bellum est. Quare instar carnaliter pugnantium, spiritu ferventes, invitos profligemus hostes? atque ut illi spe præmii nec ita decedunt, sic nos quoque nec mille acceptis vulneribus revertamur, sed restemus insuper et prælium instauremus, Dei præsidio firmati. Date hoc sultis mihi, fratres: nam eo allaboro, pauca hæc sermœcinans. Equidem cum in iis gaudeo qui feliciter currant, tum ingenio ubi quis prosternatur. Cæterum simus cuncti pernices, dediti recte factis, tolerantés in psalmodiis ministeriis, obedientia, humilitate, ac pacis Deus nobiscum futurus est per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXVI.

*In Exaltatione: ne in fœda vitia nos præcipites agamus, neu voluptatem jucundam arbitremur.*

Fratres Patresque, gaudium agitamur adventante festo quopiam Dominico, nec injuria, qui tum collustremur, quod inest in eo arcanum contemplantes, ut nunc quoque in Exaltatione pretiosæ ac vivificæ crucis; quantus est enim, quamque insolens triumphus, lignum nos, in quo pedes steterunt Domini nostri Jesu Christi, in quo suffixus vitalem suum sanguinem profudit, non spectare modo, sed etiam complecti? Quem non laborem feras quo aurum cogas periturum? at in promptu nobis beneficium est: nam simul id contraximus, simulque collustrationem, sanctimoniam, libertatem. Tam exposita benignitas est, tam proclive munus religiose adeuntibus. Et optandum sit tamen imperditam tueri liberalitatem: solet enim quod facile donetur rejiculum videri.

<sup>12</sup> I Cor. vi, 18-20. <sup>13</sup> Eccli. ii, 14. <sup>14</sup> Rom. vi, 12, 14. <sup>15</sup> I Cor. vi, 11. <sup>16</sup> Psal. xxii, 4. <sup>17</sup> Psal. iii, 7. <sup>18</sup> Psal. xlv, 3.

Nobis quidem ea, fratres, conservanda gratia est. Quamobrem ne sancta nostra labia mendacibus sermonibus, ac sine fruge verbis polluamus, neu aspectu meretricio collustratos oculos præstringamus, neu animum nitentem vitiosis cogitatis inquinemus, neu, ut Apostolus clamat, *regnet peccatum in nostro mortali corpore, ut obediamus ei in concupiscentiis* [scilicet corporis.] *ejus, neu exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra nostra arma justitiæ Deo, peccatum enim vobis non dominetur: non enim sub lege estis, sed sub gratia* <sup>14</sup>. Videntur ut peccatum in lege dominetur, at regnans in gratia justitia noxa omni liberet, et absolvat? uti scriptum est, *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, et in spiritu Dei nostri* <sup>15</sup>. Quapropter expurgationem reveriti, sanctimoniam tueamur. Quid nos in infamiam dejicimus, gloriosi instituti? quid corpus amplexamur plus quam deceat, paulo post in sepulcro dimittendum? quid voluptatem jucundam arbitramur, qui dolor sit revera mortiferi? nam equidem voluptas hamus est diaboli, inextincti ignis suscitabulum; et tamen rapimur ad eam mortales quasi quidam dedititii servi. Enimvero quemdam audivi dicentem, vitio possessum, optabilius esse suspendio mortem quærere quam peccato servire: ut enim servo herus imperat acerbus, *Abi, et abit, Veni, et venit; Fac hoc, et facit ad eundem modum, ac multo impotentius, jubet sub se subjecto peccatum, Loquere fœda, et loquitur; Nefaria designa, et designat. Quin gemere atque trepidare Caini instar videtur, mari devectus naufragium veretur, per deserta profectus latrocinium timet; tonat, ac tonitru propter se accidisse credit; fulgurat, ac ne amburatur pavet; videns non videt, audiens non audit, sensus distortos gerens. Quid hac tristius vita? equidem censeo tradi bestiis præstare quam pestiferis vitiis, nam ibi corpus, hic animus cum corpore perit. Annon et probus æque, qui quidem liber peccato (nec voluptate solum sentio, quin aliis cunctis vitiis), gaudet, lætaturque, regnat pro probitate, interritus qua in mari, qua in terra: siquidem contubernalem habet Deum, ad quem clamat in adversis, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es* <sup>16</sup>, *Non timebo millia populi circumdantis me* <sup>17</sup>. *Non timebo dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris* <sup>18</sup>. Eccam vitam jucundam, eccam felicem: quam et secuti, fratres, Dei misericordia, urgeamus quoque, et magis magisque consecremur, cuncta præ cautione verentes, omnigena obedientia perfuncti: omnigena humilitate compta, omnigenam animi puritatem contrahentes, qui quidem præ oculis obiri mortem cernamus. Jam enim et spiritalis nos Pater reliquit, Petrus, sanctissimus metropolitanus Nicææ: cujus et bea-*

<sup>12</sup> I Cor. vi, 18-20. <sup>13</sup> Eccli. ii, 14. <sup>14</sup> Rom. vi, 12, 14. <sup>15</sup> I Cor. vi, 11. <sup>16</sup> Psal. xxii, 4. <sup>17</sup> Psal. iii, 7. <sup>18</sup> Psal. xlv, 3.



tus exitus est, in persecutione extincti, cum eoque cœlestis regni hæreditate potiamur per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXVII.

*In sementem. De spiritali semente ac pervigilio in meditationibus divinis.*

Fratres Patresque, sementinum tempus agitur, seminibus serendis quæ ex materia coherent, frumento, aliisque qua tempestate homines videmus a nocte in noctem ad opera commeantes, ac serio satagentes ut quam optime et affatim serant; unde præsidia corpori conquirant. Ecquid nos igitur, sementis coloni spiritalis, sterteremus, nec quæ par seremus, et qui famem patiamur æternam, quamve inveniamus rationem reddere socordix? Quamobrem cum carnaliter serentibus acrius surgamus, tum largius seramus : siquidem, *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet* <sup>19</sup>. At quid seremus? preces, supplicia, intercessionem, gratiarum actionem, fidem, spem, charitatem : hæc sunt pietatis semina, hæc animi pabula. Jam in carnali semente sustinet colonus imbrem expectans, dum accipiat tempestivum ac serotinum : at in hac nostra ipsi arbitrii simus pluere et rigare, hoc est compungi atque lacrymari, et cum volumus, et quantum lubet. Quæ cum in nostra potestate sita sit lidibo, cohortor, fratres, seramus plurimum nos quoque, ac plurimum rigemus, justitiæ tanquam stirpibus augendis, quo appetente messe, quæ ingenio deformetur, spiritalibus manus, sinumque manipulis compleamus, ut audire mereamur : *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis de domo Domini* <sup>20</sup>. *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit* <sup>21</sup>. Atque hæc hactenus : nunc admonitos velim, fratres, brevitate dierum crescere, et exundare noctes, utique tabescit pervigilio corpus, sic somniculositate cutem curari; curanda autem cute, simul vitia subolescunt. Ecquid est ergo dicere? habet quilibet nostrum psalmum, meditationem habet, preces habet? cuncta moderate obeuntor, cuncta ad animi compagem, ac complementum spiritus, ne nos Satanæ per libidinem tentet. Neque id in somno duntaxat sentio, quin et in cibo, potu, cæterisque cunctis; præsentissimum est enim moderatum, quod ab utrinvis digressu immunes nos, et indemnes tueatur. Cæterum, imperatore ab expeditione reverso, cogitationes fortasse in animos subrepunt, sollicitis quid Ecclesiæ rebus sit futurum, id est, nostris. Pol scriptum est : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse faciet* <sup>22</sup>; et : *Si Deus pro nobis, quis contra nos* <sup>23</sup>? qui ut superioribus annis vitam nobis procuravit, variis

A tentationibus, ac miseriis ereptis, sic deinceps procurabit quoque. Tantum digne Evangelio vivamus, cœlesti obeundo instituto, terrestrium hospites et advenæ : hic enim nobis portio, ac hæreditas nulla est. Nam quis in omni memoria vitam ingressus restitit, quo excisceretur quidquam? annon omnes qui ingressi essent, rursum ceu ex alieno solo sunt egressi? Igitur hic exsilium degitur, verumque domicilium, hæreditas et adeptio in futuro sæculo est : in quo constituti, cum sanctis omnibus cœleste regnum ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXVIII.

B *In sementem. De fide, neu temere, ac sine frugem vitam consumamus, umbramque esse, atque somnium præsentia ad futura.*

Fratres Patresque, semel quotannis terra consita agricolæ fructus annuos præbet, animus quotidie satum suscipiens doctrinæ in omni vita ægræ virtutis culturam reddat : ejusque hæc est causa, quod a pueritia hominis ingenium studio rapitur ad prava. Unde humanæ naturæ minus parabilis est virtus, nec vitiorum potiri quisquam possit, qui non luctatus sit et afflictatus labore longo atque diurno. Id adeo sancti suis rebus gestis ostendunt, quasi quidam exercitores ac athletæ, pugna cum peccato defuncti. Quid aventes, quidve quærentes? Bona promissa; quæ nec vidit oculus, nec audivit auris, nec mortalium cuiquam venire in mentem <sup>24</sup>. Quod expectationis suæ pignus habentes? fidem : nam qui rite credere est largitus, idem indubie sperare tribuit, qua illi spe prodigia ederent et ostenta. Hinc, ut ait sacer Apostolus : *Devicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convulserunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos; alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem* <sup>25</sup>.

D Videlis quæ quantaque fidei facinora? *Fides vero est speratarum substantia rerum, argumentum non apparentium* <sup>26</sup>. Hac firmati et nos, fratres, cum diabolo decertemus, vitiorum pestes profligemus. Ignis nunc accensus quoque carnis libido est, quam si lacrymis atque precibus exstinguamus, choros cum pueris agemus. Feræ sunt atroces scæda immansueta vitia : quæ si subjuganda carne, et obediente vita capistremus, cum Daniele triumphabimus <sup>27</sup>. Ac quid in exiguis laboribus promissa exciscamur æterna? annon umbra : atque somnium sunt præsentia, si cum futuris conferantur? Quanquam hæc quoque infra veritatem

<sup>19</sup> II Cor. ix, 6. <sup>20</sup> Psal. cxxviii, 6. <sup>21</sup> Psal. cxxvii, 2. <sup>22</sup> Psal. liv, 23. <sup>23</sup> Rom. viii, 31. <sup>24</sup> I Cor. ii, 9. <sup>25</sup> Hebr. xi, 33-35. <sup>26</sup> ibid. 4. <sup>27</sup> Dan. vi, seq.



comparatio est : qui enim potest finitum ævum A cum infinitis componi? quo pacto cum sempiternis mundus, qui mox finiendus sit, committatur? Quod superest, ingens et infandum gaudium revolvamus eorum qui illic gaudebunt, ac punientorum pœnas : quarum si vel cogitatione obstupemus, quanto magis est intolerabilis sensus? Igitur ne quis deinceps dies temere, atque dissolute labatur, qui inertem nobis et sine fruge vitam consumat, quin omnis supremus ducitor, ex divi Antonii præcepto, unde emendemur procinctique comparemur ad iter. At qui id ait, conlitteri pote in cœnobio, suum quemque distinente ministerio? equidem apprime pote, si velimus, ac præ iis, amplius qui quietem sunt secuti : nam illic libertas, et auctoritas irreprehensa, ad mortis B cogitationem segnis est ; hic, quæ instar martyrii sit, repressio voluntatis, contentum ministerium atque incidens infamia, quam maxime habent in proclivi mortis sententiam. Sane beatus Apostolus dicens : *Quotidie morior, per gloriationem vestram, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* <sup>28</sup>, non id usus quiete quin mille tentationibus districtus protulit. Quamobrem teneamus quod quærimus, nec mortis recordari dies noctesque omittamus ; ita enim et pravam cupidinem, et ministerii neglectum, et ignaviæ tristitiam, et scelestum livorem, aliaque cuncta vitia Dei misericordia pellemus. Tum autem, ut ad exitum erit deventum, ceu eo recordatione mortis prævento, nequaquam C terrore percellemur, sed placide sanctos angelos spectabimus, ac perennem vitam consequemur per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXIX.

*De gratiarum actione, deque adorandæ Christi imaginis doctrina, ac fratris Thaddæi confessione.*

Fratres Patresque, cum salute nostra molienda complures modos largitus Deus est, tum unus, primusque est, gratiarum actio ; ait enim Apostolus : *Primum gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiat in universo mundo* <sup>29</sup>, ac nusquam non ostenditur agens gratias.

Quin exstat et in scala præmitti gratiarum actionem precibus oportere. Igitur Deo gratias agamus, primum quod nihili nos protulit in lucem, ad egregia facinora creatos, quæ præstituit obeunda, deinde quod adoptione per sacram tinctionem donavit : nam, *Quotquot susceperunt eum, inquit, dedit eis potestatem filios Dei fieri ; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* <sup>30</sup>. Nec non quod ad hanc confessionem quoque post superiorem deduxit : in quo minime fallamur, et erremus, quin explore sciamus unigenam

A Dei Filium carnem factum <sup>31</sup>, uti clamat Joannes, et carne circumscribi, et imaginem tenere et in imagine coli. Nam quot exsortes Evangelii in errore irreligioso homines degunt? alii, affecti Evangelio, in religione naufragi et erronei : ceu Iconomachi, Christum negantes descriptivum, aut imaginem tenere, aut in imagine coli, atque hinc salutiferam procurationem divinam, quantum in se est, demoliri. Quæ recogitantes, fratres, impigre Deo gratias agamus, agendis gratiis stimulemur, stimulati lacrymemur, lacrymati collustremur, collustrati salutem contrahamus, uti pollicitus sermo est. Neque enim fidem putemus uniformem : nam una est sane, augetur tamen ac minuitur, intellecta aut non intellecta, siquidem ait : *Modicæ fidei, quare dubitasti* <sup>32</sup>? et alibi : *Magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti* <sup>33</sup>; ac rursus : *Non inveni tantam fidem in Israël* <sup>34</sup>. En augetur, ac minuitur. Nec dicat quisquam: Idiota sum, et qui intelligere queam fidem? Pol clemens Deus radios cunctis explicat bonitatis. Jam quæ est Apostoli sententia? *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* <sup>35</sup>. Non in vobis ipsis spectatis quod disserui? non fratris Thaddæi recordamini, ut alios præteream, annon Scythæ erat, et servitatem serviit, emancipatusque se in monasterium dedit, ac confessione tam nupera quam præsentis est perfunctus? igitur qui fidem intelligeret suam, ceu auctus est, tum ea, uti par est, complexa corona quoque obligatus martyrii, post triduum hinc sui certaminis profectus. Ad eundem modum et nos, fratres, vivamus, non imperitiam prætexentes, sed quærentes, edoctique, et aucti pro fide : id quod continget si fidem vita consequetur honesta. Nam per charitatem operata fides salutem nostram complet ac absolvit : quippe animi tanquam corpus e duobus cohæret, neque, aut per se fides, aut per se vita tueatur, sed alterutrum alterutro inco-

D lume et constrictum. Quo sic incolumes nos quoque evadamus in virum perfectum, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* <sup>36</sup>, promissis bonis potituri cum sanctis per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXX.

*In S. Paulum Confessorem. De immenso Heri Christi in nos studio vitæque accuratione divinæ atque inculpatæ.*

Fratres Patresque, ingens est et immensum Domini nostri Jesu Christi in nos studium, qui non

<sup>28</sup> I Cor. xv, 31. <sup>29</sup> Rom. i, 8. <sup>30</sup> Joan. i, 12, 13. <sup>31</sup> ibid. 14. <sup>32</sup> Matth. xiv, 31. <sup>33</sup> Matth. xv, 31. <sup>34</sup> Matth. viii, 10. <sup>35</sup> I Cor. i, 26-28. <sup>36</sup> Ephes. iv, 13.



solum degressus, prope longeque dissitis, uti scriptum est, pacem promulgarit <sup>37</sup>, sed in cœlos quoque sublatus sanctos apostolos reliquerit, eodem nuntio ac legatione fungentes. B. Apostoli quidem hæc sunt verba : *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo : nam eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* <sup>38</sup>. O immensam procurationem, o ineffabilem liberalitatem ! eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit. Qui, et quo pacto ? nequaquam noxium peccatum sentit (minime gentium, siquidem peccatum non admisit, nec in ore ejus inventus dolus est), sed quod corruptam peccato nostram induit naturam ægritudinibus in se rejectis, morbisque, pro nobis saucius, ac fœdissima nece multatus : hoc est, *peccatum fecit*. Quamobrem : *ut nos efficeremur Dei justitia in ipso*. Quomodo ? qui noxio liberati peccato, viveremus in eo, ac moveremur. Quapropter et addit in hunc sensum : *Adjuvantes autem et exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiamus*. Videte ut hortatus præmuniat : quid est, *ne in vacuum Dei gratiam recipiamus* ? hoc est, ne iterum retrocedamus : neu iisdem vitiis, quibus nuntium dixerimus, obligemur, neu ictum Deo, et angelis testibus fœdus violemus, quin quid ? vitam obeamus novitiam, cœleste institutum piūque. Ac volo equidem vobis fando huc defectus reconditiorem quamdam vim proponere sententiæ, ea est hujusmodi. Animus noster tribus ex partibus constat, participe rationis, irascente, et appetente. Participe rationis, ut recte in sanctam Trinitatem credamus ; irascente, ut in serpentem incandescamus, eo prorsum non admittendo, appetente, ut, qui nos architectatus est, Deum diligamus, ac amemus. His diabolus animi facultatibus conversis, et distortis, fabricari in nos perniciem cœpit ab extremo. Quo pacto ? per appetitionem, Adamo, decessore nostro esu decepto ; per iram, Caino ad Abelem fratrem interficiendum excito ; per rationem, provoluto genere humano ad cultum astrorum. Atque hæc via est qua in nos cædem est molitus hostis. Cæterum nos maneamus in quo simus conditi, fratres, qui a ternis animi facultatibus præsidium contrahamus, ac spiritum coornemus, neu claritatem perdamus, qua nos herus nobilitavit, Deo, Patrique adoptatus ; nam : *Quotquot susceperunt eum, inquit, dedit eis potestatem filios Dei fieri* <sup>39</sup>. Quamobrem qui Dei filii vocemur, ne hæreditatem ineamus ignis inextincti, neu qui Christi membra nominemur, fiamus membra meretricis. Ne in mundum, eaque quæ sint in mundo despectemus, neu in hac vita formosa oculis usurpemus quæ inania sint ac caduca. Sane enim exple te per concessionem libidine omni carnis atque sanguinis : *Quæ utilitas*

A *in sanguine meo dum descendo in corruptionem* <sup>40</sup> ? Despicesis in sepulcra, et qui voluptatum exitus tuere. Esto, prædia cogamus ac pecunias : quid tum postea ? scilicet nudi in orbem ingressi, proculdubio nudi exhibimus quoque, nihil præter actiones comportantes, seu dextras, seu sinistras. Itaque clamat sanctus David : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam voluntatem Domini, et visitem templum sanctum ejus* <sup>41</sup>. Hæc vita est beata, hæc pars potior quam præcepere sancti Patres, et in primis, qui nunc est *Ὅσπερ καὶ ὁ νῦν εὐ-*  
laudatus, sanctus Paulus *φημηθεὶς Παῦλος ὁ μα-*  
confessor, cujus qui *κάριος ὁμολογητῆς, οὗ*  
quantique labores, accer- *ῶσα καὶ ἠλίκα τὰ ἑπαθλα,*  
tamina, audivimus non- *καὶ οἱ ἀγῶνες ἐκ μικροῦ*  
nihil. Quos imitati *ἤκούσαμεν, οὗς κατήμεϊ;*  
*μιμούμενοι, etc.*

et nos fratres exercitationem hanc nostram, oppugnationem, qua affecti sumus, omneque vitæ institutum teneamus, strenue currentes ; sin corruamus, ocius surgentes, victo perduelle diabolo, ut cum sanctis omnibus palmam nos quoque probitatis feramus per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXXI.

*Ante obitum sancti Patris Theodori. De judicio futuro, ac quemadmodum præsens oppugnationis aliis materia fit virtutis, aliis scelerum.*

C Fratres Patresque, *Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες,*  
cum ægrotavi, tum pre- *ἡσθένησα, καὶ πάλιν εὐ-*  
cibus vestris rursum con- *χαῖς ὑμῶν ἀνακέκλημαι.*  
valui. At quousque in- *Ἄλλ' ἕως ποτε μέλλομεν*  
ibimus hoc rursum ? sane *ἐρχεσθαι ἐπὶ τὸ πάλιν ;*  
veniet omnino dies fata- *ἐλεύσεται δὴ πάντως ἡ*  
lis, cum hoc rursum, *ἐπιθανάσιος ἡμέρα, ὅτε*  
locum non habebit, quæ *οὐχ ἔξει χώραν τὸ πάλιν,*  
sejunctum à vobis hinc *χωρίζουσά με ἀφ' ὑμῶν*  
ableget. Neque ea tamen *καὶ παραπέμπουσα ἐκ*  
viduitas ducenda est : *τῶν ἐνθένδε. Οὐ μὴν διὰ*  
*τοῦτο λογιστέον ὀρφανίαν, etc. [FABRIC. loc. cit. 284.]*

D siquidem mendax non est qui dimissurum se viduos negavit <sup>42</sup>, quin nobiscum futurum omnibus diebus, ad sæculi decursum <sup>43</sup> Tum autem quod mutuo tunc cernemus, atque adeo fas sit dicere, inenarrabili gaudio, vitæque præditi sine fine. Jam quid passus sim in ægritudine nostis, ut frigore correptus fœdam succussionem pertuli, inde ardenti febre diem solidum petitus. Ergo in malis positus mecum cogitavi, itan in futuro judicio a Tartari pœnis ad ignis gehennam revolvemur, binisque fors suppliciiis, aut etiam, pluribus miser futurus est obnoxius ? certe seu unis, seu binis,

<sup>37</sup> Ephes. ii. <sup>38</sup> II Cor. v, 20, 21. <sup>39</sup> Joan. i, 12. <sup>40</sup> Psal. xxix, 10. <sup>41</sup> Psal. xxvi, 4. <sup>42</sup> Joan. xiv, 18.



ex his vitæ ærumnis conjectandum est intolerabilem fore Dei in noxios iram, ingentique in terrore, atque trepidatione <sup>43</sup> [FABRIC. *loc. cit.* 284] teneri, ne in atroces eas pœnas labantur. Enimvero præsens oppugnatio aliis materies accedit virtutis, in qua tanquam lumina per orbem effulsere, vitæ instar habentes, meus, si dicendum est, triumphus in Christi diem, quid non egregium exsecuti? ad quam non emendationem progressi? qui tum sese qua tutantur, periculis exerciti, miseris ut aurum deflagrantes, tum alios asciscunt multisque visi salutiferi sunt, et suæ classis, et extraneis cum quibus sim sane partiarius, ac (si cui probatur mecum collocari) aliis, et iis perpaucis, occasio scelerum, qui vitæ dediti licenti, quasque ab obedientia refugi, infamiam in se concivere: ut apposite cum Scriptura loquamur: *Caligat vultus facies eorum sicut fuligo* <sup>44</sup>: Quos equidem haud abs re inclamarim quoque. Nequam filii, herum reliquistis, vitæ jura monasticæ vertistis, non rite curritis, sed velut claudi divertitis, rapti huc illuc seceditis e comitatu, mulieribus vacatis, alii soli degentes, alii servos insuper parantes, nonnulli vitam obeuntes mercatoriam, præ avaritiæ studio. Non vos terret nec imprecatio vaticina, nec minæ apostolicæ, nec mea nihil cohortatio? Quin, ut intelligo, quidam eorum quoque inita cum puella consuetudine, ad raptum Deique repudium pedes adornavit. Ain vero, miser atque ærumnose? quoties cecinisti: *Quo ibo a spiritu tuo, et que a facie tua fugiam* <sup>45</sup>? ten' inductum prorsus societatem cum serpente coire, qui Evam decepit, unaque decessorem Adamum pomario extrusit? ten' omnino cogitare, cui voto es desponsus virginali, negare Christum, ac peccato cohærescere, unde in orbem rex invasit? Non litteras audis clamantes in eos qui hæc admittant: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* <sup>46</sup>? non Apostoli sententiam tenes: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* <sup>47</sup>? Jam quid peracto scelere offendes? an non tenebras, et qui transadigat cor eusem; an non desperationis scrobem, ipsumque qui te in fraudem impulit, urgentem Satanam suspendio mortem quærere, ut olim Judam? Resipisce, tenebrio, fuge diaboli laqueum, perditte, neu plagis irretitor Orci, unde et Caini hic defungare vita, tremens, gemensque ac notos refugiens, et in futuro sæculo gehennæ igni damnere. Sed quid agam prædictis omnibus infelix uno in loco defixus? quid aliud quam gemam, ac contristabor, venturi nuntius mucronis? Qui si inaudient; atque ab erronea et in perniciem ferente via redibunt, sibi hospites sunt mihi que futuri; sin minus, soli mala exantlabunt, soli quam accendere flamma gradientur, soli exitium perenne luent; Dominica facie ac gloriosa majestate extorres, cum illustris et admirabilis veniet in omnibus, qui prope ejus præceptis sunt

A grassati, condigna iis præmia daturus? contrariis comparatis in eos pœnis jugibus affectis. Cæterum vos rite obitote, fratres, cohortor, ut ab vobis in improbos quoque virtutis divulgata oratio ad agnitionem eos deducat veritatis, omnibus contenti, omnia credentes, omnia tolerantes, quo cuncti in omnibus Deo placentes, et supplicium fugiamus, et cœleste regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXXII.

*Ante Christi natalem: De natali Servatoris, ad strenue vita retinenda monastica.*

B Fratres Patresque, jam Dei imminet adventus, lætaque est pro foribus dies: ingens est enim lætitia, qualis in omni memoria accidit nulla, Dei ad nos Filio degresso: qui non per spectra atque signa, ut olim majoribus, cernatur, sed per natalem e Virgine coram spectabilis prodeat in lucem quo ab omni æternitate neque felicius quidquam, neque e cunctis miraculis, quæ ab ævo patravit Deus, mirabilius. Ergo nuntiant arcanum angeli, natumque in terra cœlestem stella indicat, ac præcurrunt pastores edicta intuenda salute, præbentque regias magi, et insolens in re insolente carmen decantatur, venerabilem in supremis Deum pacem editum. Testatur id Apostolus in hæc verba: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvens, inimicitias, in sua carne legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso* <sup>48</sup>. Hæc cum videre cuncti olim vates ac religiosi cupivere, tum nequaquam videre, nisi per fidem, nos et vidimus, et manu tractavimus: uti de verbo scriptum vitali est ac vita apparuit, et adoptionem tulimus. Sed quod Deo hostimentum dabimus pro cunctis beneficiis Pol princeps elocutus David est: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* <sup>49</sup>. Quamobrem gaudeamus, fratres, quod meruimus nos quoque hostimentum Deo reddere pro cunctis beneficiis.

Ecquod est autem hostimentum? crucigera, quam intulimus, vita, et confessio, in qua stamus, ac divinxæ spe gloriæ triumphamus: quod indubie est martyrium. Id est adeo non in diem feriati, sed in omnem vitam: siquidem qui carne regantur, et flagitiis capiantur, nec feriari possunt, quantumvis feriati videntur, nec liberi sunt; quippe servi vitiorum sub peccatum venundati; nam equidem scriptum est: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; servus autem sustinet in domo in æternum, Filius manet in æternum* <sup>50</sup>. Igitur nos quoque, qui Dei filii gratia vocamur, manebimus in domo in æter-

<sup>43</sup> Matth. xviii, 20. <sup>44</sup> Thren. iv. <sup>45</sup> Psal. cxxxviii, 7. <sup>46</sup> Isa. lxvi, 24; Marc. ix, 43. <sup>47</sup> Hebr. xiii, 4. <sup>48</sup> Eph. ii, 14-16. <sup>49</sup> Psal. cxv, 13. <sup>50</sup> Joan. viii, 54.



num, si quam nacti originem sumus, constantem ad A extremum tenebimus.

Quapropter sancto Spiritu firmati, monasticum hoc nostrum institutum tueamur, mūtuoque moneamus, ad amoris ac bonorum operum instigationem, obedientiam, humilitatem, mansuetudinem aliaque cuncta studia præclara, nequaquam a proposito tabescentes, quin magis magisque exciti, maxime quod diem imminem cernimus: imminet enim Domini dies ingens et illustris, qua omnium iudex patefiet, ac cum gloria videbitur, cum qua est Apostolis in divina transfiguratione conspectus, omneque coactum figmentum iudicabit, suis cuique digna factis redditurus. Quem fas sit nos quoque cum sanctis universis leni intuentem vultu, ad regnumque celeste receptantem, qua est benevolentia, misericordia, bonitate, spectare, B mactum laude, et honore, atque cultu, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXXIII.

*De mortis recordatione ac compunctione, habitus postridie memorie beati Patris Platonis.*

Fratres Patresque, heri memoriam egimus B. Patris Platonis nec indebite, oportet enim spiritales filios Patri, quæ par est, tribuere. Neque id enim vero satis esse ad memoriam ducere, si canamus modo, ac consolatione fruamur corporali; quin spiritualiter quoque gaudere, uti postulat hoc effatum: *Laudando justo populi lætabuntur*<sup>51</sup>, scilicet lætitia spiritali et durabili: nam corporalis sensui C paulisper adulata, avolat; hæc insatiabilis ac imperdita est. Si quis vestrum lacrymatus est, si quis compunctus, si quis corde contritus, si quis Spiritum attraxit, et a vitiis recessit, vim sententiæ tenet, ac potest novit patris fratrisque memoria perfungi; recordamini enim, fratres, superiorum dierum, quibus præsentem habebamus, et nobiscum obeuntem loquentemque; tum autem nunc contemblemur ubi sit, quibus intersit, cum queis versetur cum ipse, tum fratrum singuli. An non id cogitanti ac sermone usurpanti, stupor incessit animum? Quin si videtur, et nos ipsos despectemus: an non nos quoque paulo post hinc cedemus, et aliis memoria recolemur, quemadmodum nunc D decessores recolimus? sane, fratres, hæc in nos comparata vita est, hominesque sumus mortales, qui crastinum ignoremus. Nam quæ est vita nostra? Vapor<sup>52</sup>, uti scriptum est, qui aliquantisper conspectus perit; flos vernus, qui mane florens, evestigio marcescit<sup>53</sup>. *Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic effloret*<sup>54</sup>. Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. *Omnis caro ut fenum, et omnis gloria hominis tanquam flos feni*<sup>55</sup>: *exortus est sol cum ardore, et arescit fenum et flos ejus decidit, et decor vultus ejus de-*

perit<sup>56</sup>. Ita marceat nos quoque hinc abscedemus. de sententia sanctorum: nam eorum sunt quæ memoravimus exempla.

Sed felicem qui sapit, Deumque requirit, felicem qui se premit quotidie in obedientiæ certaminibus, nequaquam refractarius, aut obmurmurans, quin audiens dicto, ad opera promptus, officio impiger, stimulabilis, benignus, affabilis, comis, ad exitum procinctus: quippe veniet, fratres, veniet finis, nec cunctabitur, veniet terribilis mortis dies, quasi quidam apparitor regius, non deorsum, sed e cælis commeans, et animum compellans, Exi sis, quærit te cunctorum Rex, Deusque. Nos quidem fas sit precibus beati Patris in eam horam instructos reperiri, atque hinc intrepide profectos in perennem vitam commigrare per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac S. Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXXIV.

*Mediis Festis. De ex hac vita decessu regni que requiete cælestis.*

Fratres Patresque, en ab anno in annum revolvimur, a tempestate in tempestatem, a festo in festum, neque status est in hac vita, quæ nobis omnibus relinquenda est, intrandumque in Dei quietem. *Qui autem ingressus est in requiem ejus, et ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus*<sup>57</sup>, quemadmodum scriptum est. Ecquæ est autem requies? nimirum cæleste regnum: ad quod instigans Apostolus, ait: *Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum*<sup>58</sup>. Quid sibi volens? Scilicet ut Israelitas recepit Deus introducturum se in promissum solum, cæterum contumacibus, et ab eo aversis, nequaquam contigit inire, sic ne nos quidem, minus audientes præceptis, in cæleste regnum intrabimus.

*Quadragesima annis proximus fui generationi huic, et dixi semper, Hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas, ego juravi in ira mea si introibunt in requiem meam*<sup>59</sup>: hic non annorum quadragesima agitur mora, sed quantum longissimum est vitæ cujusque spatium: quamobrem si minus operam dabimus ut omnia Dei præcepta exsequamur, affabitur nos quoque, scilicet, Ne meum ineat regnum. Jam illis non ingressis, corruere membra in deserto, at nobis non ingressis, et corpus et anima in ignis gehennam detrudentur: quod eorum gravius supplicio est. Siquidem scriptum est: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit*<sup>60</sup>? Sed quænam eis causæ ingressum præcludere?

<sup>51</sup> Prov. xxix, 2. <sup>52</sup> Jacob. iv, 14, 15. <sup>53</sup> Psal. lxxxix, 6. <sup>54</sup> Psal. cii, 15. <sup>55</sup> I Petr. i, 24. <sup>56</sup> Jacob. i, 41. <sup>57</sup> ibid. 10. <sup>58</sup> ibid. 11. <sup>59</sup> Psal. xciv, 10, 11. <sup>60</sup> Hebr. x, 28, 29.



Incredulitas, murmur, obloquium, contradictio, A durities, superbia, stuprum: hæc sunt quæ eos perdidere. Igitur hæc nos quoque lethalia vitia ut ignem fugiamus, minime diffidentes de Dei promissis, quin credentes quæ sponderit præstare etiam posse, neu murmuremus, neu obloquamur, neu contradicamus, neu obdurescamus, neu superbiamus, potiusque invicem nos benignos ac benevolos præbeamus, alter alteri condonantes, quemadmodum et nobis per Christum condonavit Deus, semper Domini Jesu necem in corpore circumgestantes, ad mortemque pro Christo procincti, assidue redintegrati precibus, supplicio, lacrymis, cœlestium contemplationum spectaculis: quippe vita hæc defuncti, non, ut illi, terram invadimus manantem melle atque lacte, sed mansuetorum plagam, B ubi vitæ et immortalitatis scaturigo est, ubi cœlestis Jerosolymæ pulchritudo, ubi triumphus atque gaudium, ubi illustratio beatæ ac præpotentis Trinitatis, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO XXXV.

*In divi Basilii memoriam. De virginitate, ac fratris Memnonis ad frugem reditione.*

Fratres Patresque, qui in stadio decurrunt, non plus semel per annum decurrunt unoque temporis momento, ac sic abeunt e certamine, seu victores, seu victi. Cæterum qui virginitatis quoddam quasi stadium permeant, ii non unum diem, quin ætatem currunt, ac pol cursum qui obtutum fugiat oculorum, quippe in arenam progressi contra hostes invisos. Ut proculdubio virginitatis maxima perfunctio sit, ceu quæ cœli culmen attingat. Siquidem humana vita in duo tributa, matrimonium ac cælibatum, illud citimum componit orbem, hic superum complet; illud præstitutum qui corruptelæ serviat, hic qui immortalitate resplendeat. Ac quemadmodum si hominem quis cernat alitem, non injuria miretur, ut hæc hominis, hæc angeli gerat faciem, ita sane qui virginitatem exerceat, insolens est hominibus juxta et angelis spectaculum: in carne est ac supra carnem, in mundo ac supra mundum, qua de causa et mundum liquisse dicitur, ut vitæ institutum mundo sublimius amplexus. Ostendunt D id adeo hæc Domini in Evangeliiis verba: *Sunt eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt, et sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus, et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum; qui potest capere, capiat*<sup>61</sup>.

Videtis ut hoc vulgo incapax donum est solisque tributum qui vitam iniere crucifixam? Quamobrem lætemur, et inter nos collætetur, fratres, agendis etiam gratiis, quod Dei beneficio ad hanc dignitatem sumus vocati, qua illustretur Deus, et homines admiratione ducantur. Neque id duntaxat, sed quam potest circumspectissime vitam perduca-

mus: nam multi ex hoc culmine tum nunc corruere, hi superbia confixi, illi segnes ac inertes: quorum utrovis animo pernicies contrahatur. Quodnam est ergo præsidium? Avi in volatu positum præsidium est, quæ aucupis adventum sentiens, pennis diductis, supervolat, ac capturam effugit; ad eundem modum nos quoque, simul animorum nostrorum captator imminet diabolus, ceu volucres spiritu, sublimi arrepta contemplatione, supera quæramus, supera spectemus. Lævorem ille voluptatis subjectat? Nos nobilitatem revereamur animi. Ille noxæ perpetrationem suggerit? Nos judicii pœnam revolvamus. Atque hæc illis opposentes, et cogitatis cogitata repellentes, ab sacrilego servabimur. Jam quis certaminum finis? Qui carnaliter currant, temporaria corona, nos sempiterna; illi gaudio mortali, nos immortalis triumpho mactamur. Ac nos, fratres, beatos, si spem, qua præfisi triumphamus, ad extremum constantem retinemus. Igitur instemus, hortor, precibus, supplicio, compunctioni, lacrymis, humilitati, obedientiæ, confessioni, ministerio, cæterisque laboribus monasticis, ac Deo duce contra hostem victoria potiemur. Sed hæc hæc haec. Quod proximum est, de fratre Memnone, posteaquam utcunque jam resipuit, amplectendus nobis est, ne æquo longiore tristitia obruatur. Quanquam hoc habeo dicere, qui peccatum faciat non servum modo esse peccati<sup>62</sup>, ut fert Domini sententia, sed etiam piis execrabilem, ac fors pudet nos eum vel salutare, ne quid peccato inquinemur. Sed quoniam Dominus noster Jesus Christus nepotem, facultatibus in meretrices profusus, reversum non est aversatus, nec nos aversemur, lætique fratrem amplexemur, ac grates agentes de emendatione gratulemur, eique quæ in rem sint poscimus: ita enim quæ jubeamur agentes, ceu Verbi discipuli, cœleste regnum eriscemur per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO XXXVI.

*Post lumina. Ad constantiam in confessione obeunda, deque fratre Theoduli decessu, dictus mediis festis.*

Fratres Patresque, superioribus annis feriati, nondum ferias ut nunc temporis Domino Deo nostro peregrimus, scilicet in æde sacra, ac fratrum majore comitio: videtis enim et frequentiores choros, et plures mensas, idque, qui in alieno solo degamus. In quo est cur gaudeamus, ac tremamus quoque; illud, qui Dei promissorum fruamur eventu; hoc, qui indigni simus accipere, ne immemores bonorum, beneficium provocemus suam nostri procuracionem claudere; nam equidem si beneficia memores tenemus, timide eum et formidolose colentes, etiam etiamque confirmat Deus nec defectum iri farinæ capedinem, nec

<sup>61</sup> Matth. XIX, 12. <sup>62</sup> Joan. VIII, 34.



minutum olei ampullam<sup>63</sup>. De cætero spectate, A rum honorum, et perduellem meum cohæredem fratres, ut feriæ decedunt, celebritates solvantur, dies prætermeant, atque hinc quilibet abimus: jam obiit et frater Theodolus, atque hic e primis, et obedientia spectatus, et in confessione constans, flagris ob Christum, ac carcere multatus, vitæque in persecutione defunctus: quo quid illustrius? tot nostros fratres (siquidem ad centum et amplius crescit numerus), stellarum instar fulgentes, in quæ abjecti loca sunt, indidem sacra sua corpora tum coævis, tum posteris ad orthodoxiæ testimonium reliquisse.

Neque solum de hac nostra tanquam republica loquor, sed etiam qui ex aliis contuberniis ad necem petiti decessere: nam pol eos haud accenscam, qui ante oppugnationem sedatam ad monasteria revertere, quasi quidam desertores milites: quippe scriptum est: *Pax, et non erat pax*<sup>64</sup>; et: *Ubi te inveniam, illic te judicabo*<sup>65</sup>. Ergo hic ingens est Dei Ecclesiæ tibicen, tantam habuisse nubem martyrum pro Domini nostri Jesu Christi, Dei- paræ, omniumque imagine sanctorum adoranda. Quamobrem ut pignus aliud nullum suppetat, id unum satis est cordatis probandæ veritati.

Quapropter hostes pudeat, qui diversam opinionem sunt secuti: etenim quis (malum!) qui eorum religionem propugnaret, ærumnas eas suscepit? Minime vero, quin velut noctivagæ animantes in nocte hæresis volant, ac prælidunt, at lucescente die, ortoque Lucifero orthodoxiæ, abdunt se in cavernas sacrilegæ suæ mentis et ingenii. Sed nimirum ignis sui luce, et quam accendere, flamma grassantur: nos, fratres charissimi, a Deo constructi super apostolorum vatumque ac divinorum Patrum fundamento, firmi consistamus, nullisque in posterum humanis terriculamentis præfracti.

Cæterum infracti simus, si ex Apostoli præscripto, aurum, argentum, pretiosos lapides superstruamus, non ligna, fenum, stipulam, ignis fomenta<sup>66</sup>: nam sic stabilitum nihil est quod demovere in Deum fiduciam queat. Ac revereamur, fratres, et festi quod obiimus arcanum. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*<sup>67</sup>, uti scriptum est: itaque ne simus ultra maledicti, Christus nos in suo sanguine lavit per regenerationis lavacrum, ac renovationem spiritus, ne ad fœda facinora, detestati, redeamus. Sin minus, apparitionis suæ die (crediderim) nos affabitur in hæc verba: Equidem concorpores ac conformes vos reddidi, et mea membra meretricis membra effecistis; a peccatis ablui, macula nulla, aut ruga, aut simili quoquam præditos, et vitiorum pædorem redamplexi, scelerum fuligine sordetis; animam beata luce, sanctum largitus Spiritum, replevi, et mentem redhibuistis sedem grassatricibus noxis; hæredes designavi aeterno-

rum honorum, et perduellem meum cohæredem coepistis. Quod superest, abite, detestabiles, in ignem perpetem, diabolo ejusque satellitibus paratum<sup>68</sup>. Sed nequaquam, fratres, diram eam vocem, ac atrocem stomachum sentiamus, quin omni ope conemur vitam anteactis, consentaneam ducere, puritatem complexi, lacrymas profundentes, animi tanquam stimulis scatentes, quæ in manibus sint officia peragentes, sollicitè in opere divino noctu et interdium excubantes, ne qua illapsus hostis animum negligentem trucidet: nam utinam vel vigilantes draconem fugiamus, tantum abest ut paulum dormitantes! Socors labilisque natura est, dicet quispiam. Fateor equidem quoque uti in eandem sim conscriptus; sed quoties id accidet, toties expeditior confessio, pœnitudo, contritio cordis, ad frugem reditio, in antiquum statum revertendi celeritas. Atque his quotidie perfuncti, cum voti compotes sumus, tum, optanda voce audienda, regnum ineamus divinum per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XXXVII.

*Post luminu. Nequaquam feriandum crapula atque poculis, deque recordatione mortis.*

Fratres Patresque, jam feriæ transiere, cum Natalis tum Epiphania, quas et agere meruimus in hac ora id quod molestum non est, quin in primis per jucundum, quod ejus gratia, qui se inanivit, servique formam suscepit nostrapte causa<sup>69</sup>, extorres, capite ac fortunis oppugnamur. Nam quid aliud est feriari quam Deo cohærescere? Cohærescit autem quis Deo vel maxime rerum quæ materiæ tenentur fuga, atque hujus mundi repudio. Jam quid de iis dicemus qui in desertis et antris, atque montibus ac terræ cavernis victitant? minime eos feriari? At præ aliis feriantur, in quiete positi ac pol sublimius et divinius, siquidem qui feriari ducant in deliciis, crapula, comessionibus, poculis, sibi se fraudem struere ignorant. Quos et deplorant sacræ Litteræ in hæc verba: *Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra, ut in die occisionis*<sup>70</sup>: similes sunt enim porcis ad lanienam comparatis, quorum deus ingluvies, et in infamia triumphus. Quamobrem verius penes nos est feriari, si attendimus, dignamque voto ac Christi confessione vitam ducimus. Equidem videmur, fratres, ut dies præterequent, tempusque rotæ instar vultum hos adducat per ortum, illos abducat per mortem, ætate non una et æquali; quin senes ante juvenes, et juvenes ante senes, parentes ante liberos, ac liberos ante parentes, omne caput promiscue, Deo sic procurante, quo ob incertitudinem mortis cunctis instrueremur ad iter. Itaque vigilemus, et animum arrigamus, ne mors ingruens repente minus paratos offendat, frustra que

<sup>63</sup> III Reg. xvii, 12. <sup>64</sup> Jerem. vi, 14. <sup>65</sup> Ezech. vii, 3. <sup>66</sup> I Cor. iii, 12. <sup>67</sup> Galat. iii, 13. <sup>68</sup> Matth. xxv, 41. <sup>69</sup> Philipp. ii, 7. <sup>70</sup> Jac. v, 5.



ac sine fruge pœnitentia ducamur. Nescitis ut superioribus diebus subito in valetudinem incidi, nec longe absuit quin anima hæc in inferno habitaret? Etsi in præsens vero convalui, non omnino in posterum tamen, quin necesse est jam inde senem a vobis abscedere, atque ad patres fratresque proficisci: tantum precamini ut probe conscius, vitæque obita inculpata. Igitur adhuc doloribus distentus, cogitabundus mecum sic loquebar: Si hic tantus labor est, quantus imminentis iudicii futurus? ac si tres quatuorve dies ærumnas non perpetimur, qui perenne supplicium feramus? Hæc cum vobis consulam quoque meditari, et revolvere, tum circumspecte degere, quod ad hominem attinet externum, cum omni probitate, humilitate, laborum contentione, tolerantia; quod ad internum, quam arctissime animum servare, neu veteratorem sinere serpentem, draconem illum grandem, insusurrare, et in nos iuslire, neu Dei famem sedem comparare vitiorum, quin puros præbere Deo, atque hinc vitam agere beatam etiam ante futuram. Nam quid beatius quam puro et insonte animo præstando pacem cum Deo agitare? quod nequaquam fiat ni præcedant labor, preces, lacrymæ, compunctio, alacritas, fervor spiritus: siquidem neque his instructos captare hostis cessat, bellumque implacabile conflare. Atque id faciet, qui in cœlos tendentes cernat. Sed profecto haud sunt pares hujus temporis ærumnæ ei quæ in nos ostendetur gloriæ. Quare cunctis contractis copiis atque viribus, quæ in spe fideque sitæ, profligare bellum et vafriem dæmonis dissolvere certemus, imitati in stadio currentes, qui tanta contentione confligunt, ut in extremo cursu anhelent, ac vix spiritum trahant. Atque his diurnus interim cursus et mortalis proposita corona est, nobis quandiu vivamus, eaque de causa et corona immortalis quæritur, et præmium perpes: quod, et peracto fortiter cursu assequi omnes contingat per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria, et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XXXVIII.

*De Patrum imitandis vitis, manendoque in quo vocati divinitus sumus.*

Fratres Patresque, lectione Patrum vitas recolentes, stupemus, nec immerito: stupendi enim sunt, qui hæc præditi carne, angelica quadam vita obeunda, omnique vitio soluti, Deo complacuerint. Quanquam non stupere convenit solum, quin debite quoque imitemur necesse est; hoc est, subditus subditum, quietus quietum, solitudinarius solitudinarius, præfectus præfectum: nam qui fructus sit nequaquam suæ tanquam classis, sed alienum sequi et effingere? hinc præterquam quod fructum facias nullum, in exploratam perniciem ferare; hinc multi contuberniis suis peregrinandi, si diis placet, studio relictis, gradu cecidere, nec quæ

A ambirent tulere. Atque ut omittam veteres historias, intra ætatem nostram exigamus sermonem. Ecquid Psalterio, qui dicebatur, profuit ad stylum profectio? an non reductus inde est mente captus ac jam nec subditus est, nec stylita? Quid Sapritæ idem contulit stylus? an non degressus inde est ob orthodoxiam, lapsusque in hæresim, proditor factus veritatis, ac nunc oppugnator est acerrimus? Sed nostram rempublicam inspectemus quoque. An non Petrus, qui jam olim probe subditum gessisset, pietatis causa, scilicet, in solitudinem discessit? unde cujusmodi sit reversus, quemve dederit finem, scitis qui experti estis. An non et Amphiloehius, qui adhuc superest, stylita in primis, ac deinde factus Clusius, nunc indecore huc illuc palatur? B noxaque hæc diaboli est aliena subdicere, quo suis privet et exspoliet. Quapropter clamat Apostolus, *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum*<sup>11</sup>. Vocatus es qui te dederes quieti? ne cura subditum. Vocatus es qui subditum gereres? ne cura quietum. In quam quisque classem est conscriptus, Deo placeto: habet utervis exempla sua, ad quæ necesse est vitam componat. Itaque tu sequere obedientia prælustres: quos? inquam. Non priscos tantummodo sanctos, quin nostri quoque cœtus: imitare beatum Domitianum, cujus fervida fides; imitare beatum Zosimum, sine fuce morigerum; imitare beatum Marcum, qui probris ac contumeliis pro bono omine ductis, constans in habitu suo permansit: imitare beatum Terentium, qui complures annos ægris in coquina famulatus, non tædio fractus claudicavit, sed invitatus quoque ut inde se conferret, haud induxit animum, maleus divexari ministerio; imitare cæteros fratres, permultos, et obedientia insignes, quorum sunt in vitæ libro nomina: hos imitare, non solitudinarios. Igitur solitudinem montesque Pater Joannicius cum subditis habeto, tu tene te, obedientia et alieno solo contentus. Non oppugnatur nunc ille, tu oppugnare ob justitiam: ille in carcerem non compingitur, tu pro Domino in carcerem es compactus; non cæditur ille, tu cæsus es propter Christum: quanto hæc illis antistant? Ac dicam equidem et de me quiddam inglorius, posteaquam vobis indigne caput sum impositus. Ecquid deseram præfecturam et in solitudinem concedam, aut aliam ullam quæ se offeret vitam? At non id capitis est neque pastoris, quem par est pro ovibus vitam impendere. Quare nec vos aliud quam quod estis meditari ac moliri decet: quippe hinc sterilitas, et propositæ dissidentia vitæ, illinc obedientiæ, quam requirimus, fecunditas manat. Quamobrem ut cuique largitus Deus est, qualem quemque vocavit, sic obito, sic vitam instituito, sic Deo placeto, quo audire mereatur: *Euge, serve bone et fidelis; super pauca fuisti fidelis super multa te consti-*

<sup>11</sup> I Cor. vii, 24.



tuam, intra in gaudium Domini tui<sup>72</sup>; cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO XXXIX.

*In Patrum vitas. Sanctorum nobis Patrum vitas imitandas.*

Fratres Patresque, nihil est vel felicius nostrate vita, vel instituto sublimius, si quales nominamur vivimus, nec nomenclaturæ contrariam vitam degimus. Monachus est enim qui in unum contuetur Deum, unum desiderans, uni imminens, unum procurare satagens, pacem et sibi cum Deo molitus, et aliis auctor quoque: at qui hæc minime teneat, contraque æmulatione, rixis, dissidio ducatur, næ is cæcus est, et manu tentans (7), ut scriptum est, *oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*<sup>73</sup>. Quæ cur dixerim scitis qui obnoxii estis. Nec dico equidem quo iterum contristem, quin ut in posterum communiam, ne in eadem crimina ruatis. Patrum memoria exsultabat detractio, et detrahentes audiens vel obturabat aures, vel bono commutabat; nunc facile calumniis aurem præbemus, tamque avidè inaudimus, quam non lectionem usurpari audiamus. Patrum tempestate nihil sequius dicebatur, quin benigne modestæque; nunc clamose, iracunde, vultu (8) distorto: quo quid inhonestius? Patrum ætate non agitabatur murmur, sed quod daretur quisque capiebat cum gratiarum actione, ut hinc dulcescerent amara, oblectarent inamœna; nunc murmuramus, hæc illaque causantes, neque id nobiscum, sed in publico, quo plures paremus qui commurmurent, ac Deum gravius irriteremus.

Non hæc, fratres, sic fas fieri est, nec monasticæ vitæ hæc insignia sunt. Haud exiguum crimen maledicere est. Siquidem, *Maledici, inquit, Dei regnum non possidebunt*<sup>74</sup>. Nec leve peccatum murmurare: nam, *Nec murmuraveritis, ait, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore*<sup>75</sup>. Quin nec minimum futire scelus; quippe exstat hæc sententia: *Omnis sermo malus (8<sup>a</sup>) ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem frugi (9), et utilis, ut det gratiam, audientibus, et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*<sup>76</sup>. Non D comminationem sentitis, Dei nos provocare spiritum futientes? non timemus, rationem vel otiosi verbuli daturi in iudicio, ut Dominus interminatur? Cur non igitur deinceps arrigimus animum? cur non apparamur, qui ad ingruentia procincti offendamur? Injuriam sensisti? fer æquo animo contumeliam, in te opprobrium suffocans; nam, *Turbatus sum, inquit, et non sum locutus*<sup>77</sup>; ita

evanuerit injuria, tuaque perpes maneat virtus. Vescum quid, potumve secus quam velles accepisti? gratulare de præsentibus: siquidem quod tu aversare sæpe, habens pro malo, vel degustare optent alii. Ac ni hæc adsint, quo obedientiam censemus: quidve hæc gloriamur? neque enim vel continentia, vel pervigilio, vel solicubio, vel alio quoquam labore commendatio quæritur, quanta voluntatis coercitione, quasque martyrii ejusdam cœnobiaci repræsentatione certaminis: *Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, simulationes et invidias, et omnes detractiones, ut Apostolorum jubet coryphæus, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscamus, ut in eo crescamus, si tamen gustavimus quoniam dulcis (10) est Dominus*<sup>78</sup>, vitæque desiderio teneamur sempiternæ; neu admoneri detrectemus, nec defatiscamus, assidue nos a lapsu revocantes. Qua insignes adorea, immortalitate donabimur per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO XL.

*In Patrum vitas. De vita obeunda novitia, ut sacro habitu simus professi.*

Fratres Patresque, quemadmodum esurientes, cibum capere, ac sitientes bibere avenius, sic divini audiendi sermonis desiderio teneamur oportet: nam quæstum faciemus audiendo maximum, qui seu ignavi simus, ignaviam ponamus, seu prompti, promptiores reddamur: ut probe res habeat utrinvis. Ecquis igitur præsens futurus sermo est? *Sic Deus dilexit mundum, inquit, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*<sup>79</sup>.

Neque hoc, dedit modo, sed ad mortem quoque, et eam crucis. Quo pacto? Servi diabolo ob Adami noxam tenebamur, morti regnabamur, sub peccatum venundati, obnoxii corruptelæ, et tanquam dedititii. Ergo venit unigena Dei Filius, pro omnibus se impendens, qui non solum mortis obligatione solutos, sed a peccatis ablutos quoque in suo sanguine, regnum, atque sacerdotes Deo, et Patri suo fecit, uti scriptum est<sup>80</sup>. Viden' acrem præpotentis amorem? viden' humanitate clementiam majorem? Quam inexplorata benignitas? quam impervestigabilis bonitas, quam in nos effudit copiosam per Jesum Christum Servatorem? Quid nos tandem ad hæc nauci dicamus, quidve cogitemus? iterumne ultro in vitia feramur, servitutem ambiamus, infamiam, corruptelam, supplicium asciscamus? *Absit, ait Apostolus, qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in*

<sup>72</sup> Matth. xxv, 21. <sup>73</sup> II Pet. i, 9. <sup>74</sup> I Cor. vi, 9. <sup>75</sup> I Petr., ii, 15. <sup>76</sup> Joan. iii, 16. <sup>77</sup> Apoc. i, 6.

(7) Hallucinatur: nam Græce est *μωπαζων*.  
(8) *Διαστοφῆς προσώπου* erat in Græco; emendavi *διαστροφῆς*.  
(8<sup>a</sup>) Putidus.

<sup>78</sup> I Cor. x, 10. <sup>79</sup> Ephes. iv, 50. <sup>77</sup> Psal. lxxvi, 5.

(9) *Χρηστας*, auctor et vulgati cod. habent. Vel. interpr. *fidei vertit*, aliam lectionem secutus.

(10) Incorrupte erat in nostro *χῆ*. nam verum est *χρηστῶς*.



illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus <sup>81</sup>.

Itaque vitam, fratres, obeamus novitiam, uti et habitu sumus professi, justi, piique vivamus, quemadmodum sanctos decet, pace ac concordia præditi, angusti, circumspecti, insontes, sine vitis, qui non uti olim in errore, fraudibus ducamur, dum præsumptionem fugiamus, ut ignem, super fidei rupe nostræ defixi: nam hoc novitas est. Quæ antiquitas? Voluptas, qua captus decessor Adamus, pomario extorris, flebilem subiit vitam; invidia, qua Cainus æstuans, Abelem germanum ob prærogativam munerum peremit: ex quo tremens gemensque pervixit. Ex his geminis sceleribus mille mala inhæsero mundo, hinc diluvium, quod orbis terrarum stirpem internecone delevit, hinc Sodomia et Gomorrha igne atque sulphure cinefactæ,

#### SERMO XLI.

*De Patrum contemplanda vita, æmulandis eorum recte factis.*

Fratres Patresque, per hos dies sanctorum vitas Patrum legentes dici non potest quem fructum capiamus, quove gaudio fruamur. Cedo enim, quid sit jucundius quam eorum contemplari immortales actiones, miracula, contra dæmones victorias? Ut lapides ipsi, medius fidius, sentire mihi fructum videantur: quanto homines magis in quibus inest ratio, et ingenium? Ergo hinc illustratur mens humana, cæcæ quasi quodam carnis sensu deposito, hinc animus stimuletur, ad amorem divinum plumescens. Atque ut verius dicam, ii sunt Dei in Eden pomarium, non materiatis stirpibus, sed spiritus tanquam fructibus pictum et ornatum, ubi fragrat vitalis odor, ubi serpens non vulnus intulit, sed accepit, non exegit, sed ut, par erat, proscriptus est. Jam cum hæc Domini sit sententia: *Regnum cælorum intra vos est* <sup>82</sup>, non erraverit qui cæleste regnum eos nuncupet, in quibus benignus residens Deus, ceu rex quidam munificus, donativa tribuat in servos. Quid deinceps mihi cum his devexis regiis, levi gloria, ventreque perituro? quid cum auro, argento, pellucidis vestibus, et quæ alia sunt lineæ pabula? quid cum plausu, susurris, ac inani sursum deorsum vectionis studio? Equidem nec digna sunt comparatione, nisi quæ est lucis cum tenebris, vitæ cum morte, veritatis cum insomniis. Quæ cum ita sint, fratres, gaudium agitemus ingens et illustre, qui potiolem nacti partem, tanti stirpe generis censeamur selecti, ac nobilitate fulgidi divina. Quin æmuli quoque effin-

exemplum sunt nobis. Videtis quid admiserit peccatum appetitus oculorum, ac impotentia vitæ? Sed tamen ut prædictum est, Dei misericordia revocati et asserti, in adoptionem rediimus. Itaque consistamus in libertate in quam nos Christus vindicavit, ac quia ab eo cohonestati sumus gloriam tueamur, cuncta hæc inania respicientes, cuncta ob Christum in secundis habentes, seu infamiam pro honore, seu afflictationem pro triumpho, seu verbera pro deliciis, seu oppugnationem pro beatitudine, seu mortem pro vita ducentes, quemadmodum et protulere, quos hodie recolimus, SS. Patres fratresque nostri, quorum sunt in vitæ libro nomina. Quo nos quoque ineundo vitæ instituto, cum hic tanquam luminaria apparebimus in orbem, vitæ instar habentes, tum in futuro sæculo cæleste regnum eriscemur per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### ΛΟΓΟΣ ΜΑ'.

*Περὶ τοῦ ἀναθεωρεῖν ἡμᾶς τοὺς βίους τῶν Πατέρων· πρὸς τὸ ζηλοῦν τὰ τούτων κατορθώματα (10\*).*

Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες· ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις ἐπειδὴ ἀναγινώσκομεν τοὺς βίους τῶν ἁγίων Πατέρων ἡμῶν, ὅσης ὠφελείας ἀπολαύομεν, καὶ ὀπίστης εὐφροσύνης μεταλαμβάνομεν, οὐδὲ ἔστιν εἰπεῖν· τί γὰρ γλυκύτερον, εἰπέ μοι, τοῦ ἀναθεωρεῖν τὰς τούτων ἀθανάτους πράξεις, τὰ τε θαύματα, καὶ τὰ κατὰ τῶν δαιμόνων νικητήρια; Ἐμοὶ δοκεῖ λίθους ἐπιαισθάνεσθαι τῆς ὠφελείας, μὴ ὅτι γε λογικὸν ἄνθρωπον. Ἐντεῦθεν οὖν φωτίζεται νοῦς ἀνθρώπου, ἀποτιθέμενος τὸ τῆς σαρκὸς ζοφῶδες φρόνημα· ἐντεῦθεν καταλύσεται ψυχὴ, ἀναπτερουμένη πρὸς θεῖον ἔρωτα. Καὶ εἰ δεῖ τάληθέστερον εἰπεῖν· οὗτοί εἰσιν ὁ ἐν Ἐδέμ παράδεισος τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἐνύλοις φυτοῖς, ἀλλὰ ταῖς καρποῖς τοῦ πνεύματος ποικιλόμενός τε καὶ ὠραϊζόμενος, ἐνθα πνοὴ ζωῆς εὐωδιάζουσα· καὶ οὐ ὄφις οὐκ ἔτρωσεν, ἀλλ' ἐτρώθη· οὔτε ἔξωσεν, ἀλλ' ἐξωστρακίσθη, ὡσπερ ἦν ἄξιον· καὶ εἰ κατὰ τὸν λόγον Κυρίου, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐν τῶν ὁμῶν ἐστίν, οὐκ ἂν τις ἀμάρτοι καὶ βασιλείαν οὐρανῶν αὐτοὺς ἀποκαλέσας· ἐν οἷς ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ἡμῶν ἀναπαυσάμενος, οἷά τις βασιλεὺς φιλόδωρος, τοῖς ἑαυτοῦ θεράπουσι διανέμει τὰ χαρίσματα. Τί μοι λοιπὸν πρὸς ταῦτα τὰ κάτω βασίλεια, καὶ τὸ κενὸν δοξάριον, καὶ ἡ καταργουμένη κοιλία; τί δὲ ὁ χρυσὸς καὶ ὁ ἄργυρος, καὶ τὰ διαφανῆ περιβλήματα, καὶ ὅσα ἄλλα σηγός ἐστι δαπανήματα; τί δὲ ὁ κρότος καὶ ὁ θόρυβος, καὶ τῆς ἄνω καὶ κάτω περιφορᾶς ἡ ματαιοπονία; ἄρα οὐδὲ παραβολῆς εἰσιν ἄξια, ἢ ὅσον φῶς πρὸς σκότος, καὶ ζωὴ πρὸς θάνατον, καὶ ἀλήθεια πρὸς ὄνειρατα. Οὐκοῦν ἐπεὶ ταῦτα οὕτως ἔχει, χαί-

<sup>81</sup> Rom. vi, 2-4. <sup>82</sup> Luc. xvii, 21.

(10\*) Catechesis hæc xxxvii<sup>a</sup> est in cod. 81 apud Nanios, p. 164, ubi primus titulus ita se habet: Εἰς τοὺς βίους τῶν Πατέρων.



ρωμεν, ἀδελφοί, χαρᾶ ἀνεκλαλήτη, καὶ δεδουρασμένη· ὅτι τῆς κρείττονος μοιρᾶς ἐτύχομεν· καὶ ὅτι τοιοῦτου γένους σπέρμα χρηματίζομεν· γένους τοῦ ἐκλεκτοῦ καὶ τῆ θείᾳ εὐγενείᾳ ὑπεραστράπτουτος· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ζηλοτυποῦμεν καθ' ὅσον οἶόν τε τὰ ἐκείνων κατορθώματα· ὡς ἂν μὴ κενὸν ὄνομα φέρωμεν· μορῶσιν μὲν εὐσεβείας ἔχοντες· τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. Τοιγαροῦν ὡσπερ ἐν ἰατρείᾳ ὅτι ἕκαστος πρὸς τὴν οἰκειαν ἀσθένειαν τὸ φάρμακον ἐκλέγεται, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ἡμεῖς, πρὸς τοὺς ὁμοταγεῖς ἀποβλέποντες, ἐντεῦθεν ποριζώμεθα ἕκαστος τὸ ὠφέλιμον. Τοίνυν ἐγὼ ὁ ἀναξίος, πρὸς τοὺς ἀξιοθέως ποιμάναντας· ὁ οἰκονόμος πρὸς τοὺς πιστῶς καὶ φρονίμως οἰκονομήσαντας· ὁ κελλαρίτης, πρὸς τοὺς εὐδιακρίτως καὶ εὐσυνειδότης κελλαρεύσαντας· οὕτως ὁ κανονάρχος καὶ ξενοδόχος· οὕτως ὁ ὄψοποιός τε καὶ ὁ ἀριστητάριος· οὕτως ἕκαστος ἐν τῇ ἐκάστη διακονίᾳ ταπτόμενος. Ἐχομεν γάρ, εἰ βουλοίμεθα, τὰ παραδείγματα. Μήτις οὖν ἐπὶ πάσῃ παρακοῇ, ἀλλ' ἐκ πρώτης κλήσεως ἢ ἀπάντησις· τὸ γὰρ λέγειν· Μικρὸν καὶ πάρειμι· καὶ τοῦτο ἐπὶ τοῦ οἰκονόμου, τῶν ὑπευθύνων τέ ἐστι καὶ κατακρίτων· μήτις παραίτησις διακονίας· ἀλλὰ μέχρι θανάτου ἢ εὐπειθεία· τοῦτο γὰρ ἡ μοναχικὴ τελειότης· μήτις μεμψίμοιρος, τὸν τῆδε τόπον κατατιώμενος, ὡς οὐκ ἔχοντα τοῦτο κάκεινο. Ὁ γὰρ τοιοῦτος ὑπόδικός ἐστι τῷ κρίματι τῶν γογγυσάντων ἐν τῇ ἐρήμῳ· ὧν ἐξαισιος ὁ ὄλεθρος· ἀλλὰ τινες ταῦτα, οἱ ἀπαίδευτοι, οἱ ἀκαρτέρητοι, καὶ ταῖς φρεσὶ νηπιάζοντες, οἷς τὸ ἀναπνεῖν τὸν ἀέρα οὐκ ἄξιον, μὴ ὅτιγε τοσοῦτων ἀπολαύειν ἀναπαύσεων. Πλὴν ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ἡμῶν καὶ τοὺς ἀφρονας σωφρονήσει, καὶ τοὺς πεπαιδευμένους ἔτι συνετίσει, καὶ πάντας σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τῆν ἐπουράνιον· ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

### SERMO XLII.

*In Chrysostomi ac S. Ephræmi memoriam. Nihil beatum in humanis præter virtutem, quæ sola beatitudine digna est.*

Fratres Patresque, hominum plerique opes, plerique potentiam, plerique delicias, plerique voluptatem beatam prædicant. Quorum beatum est nihil: siquidem laud permanent æterna, sed cum ævo hoc intereunt. Quin nullis ne hic quidem suffecere, visaque sunt simul, et instar somnii possessorem fugere. Sola digna est beatitudine virtus, quæ et immortalis habeatur et se obtinentes beatos præbeat.

Nam obeamus animo quot ab ævo præpotentes ac delicatuli fuere, quorum nullius exstet cum laude memoria: cæterum virtute præditorum inextincta gloria est. Evidens id est ex iis quæ actitemus: heri beatum Chrysostomum celebravimus: hodie prælustrem Ephræmum, eras alium e sanctis, ac sic in annum ceu luminaria coorti sub festa, in laudes ora omnium solvunt, nostrisque ad Deum gressibus prælucent. Vera hæc igitur sacra sententia est: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse sit primoge-*

*A gamus eorum, quantum possumus, recte facta, ne cassum nomen geramus, deformatione præditi pietatis, vim et potestatem negantes. Igitur ut in officina suis quisque morbis medicinam deligit, ita sane et nos in suos singuli tanquam gentiles intuentes quæstum inde contrahamus. Ego hic indignus in Dei instar pastores, œconomus in œconomia fideliter prudenterque functos, promus-condus in eos qui discrete ac sincere id exsecuti sunt munus: ad eundem modum canonarcha, hospes, obsonator, structor, singuli in singula officia descripti. Exempla quidem certe, si volumus, habemus. Ergo ne qua in quoquam contumacia sit, quin ad primam inclamationem accurrito (quippe dicere: Mane venio, præsertim œconomus, non caret culpa et flagitio), ne qua officii detrectatio, sed vel in necem sequacitas (id est enim monastica perfectio), ne quis querulus locum hunc incuset, ut hæc illaque non habentem. Nam hic crimine tenetur eorum, qui in solitudine murmurantes foede periire<sup>83</sup>. At ea quinam? indocti, impatientes, mente pueri, indigni qui vel aerem ducant: tantum abest ut his commodis fruantur. Verum clemens Deus tum erudiat amentes, tum angeat prudentia catos, omnesque in suum cœleste regnum conservet per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac Sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.*

*C nitus in multis fratribus; quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit<sup>84</sup>. Quid ergo ad hæc dicimus? num vocationis ejus et honoris sumus exsortes? Nequaquam: quin est et nihil nobis cum crucigera vita, tum beatitudinis honorarium: quippe obimus in hanc horam pro Christo discrimen, præter superiores egregiæ confessionis triumphos. O admirandam virtutem! qualia suis cultoribus largitur? Atque hæc indidem sane: quid vero in futuro sæculo? Ecquæ eam beatitudinem et adoream exsequatur oratio? de qua ait Dominus: *Tunc justi fulgebunt sicut sol<sup>85</sup>*; nam quia is sol justitiæ est, justos quoque, ceu sibi conformes, instar solis micaturos promisit. *Si tamen compatimur, inquit, ut et conglorificemur<sup>86</sup>*; idemque alibi: *Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi<sup>87</sup>*. Videtin' quo abibimus? Ubi Christus est, ad Dei dextram considens, ubi gaudium, et ovatio, ubi angelorum tripudia, ac cœtus eorum qui in cœlos principes sunt conscripti, ubi gentiles nostri fratres patresque, eo mox abeundum, gavi-*

<sup>83</sup> Num. xvi, 1. <sup>84</sup> Rom. viii, 30. <sup>85</sup> Matth. xiii, 43. <sup>86</sup> Rom. viii, 17. <sup>87</sup> Joan. xvii, 24.



suris in eo, qui in virtute sua dominatur in æternum, uti canit beatus David <sup>88</sup>, non centenis, nec millenariis annis, sed perpetuis sæculis, ac finem non habentibus. Ad hæc quis idoneus? Quis? qui diem omnem, horamque vigilat intentus, ne animo dormitet: nam dormitabundis, ceu feræ, ingruunt vitia, et animum prensant. Cæterum quandiu pro statione excubemus, non prædatur latro, nec serpens rapit. Quamobrem vigilandum est, ac quæ dixi contemplanda, neque non quæ contrariis e contrario conducta supplicia sunt, ignis inextinctus, tenebræ extimæ, vermis immortalis, et quæ alia sunt, quo his implexi ac distenti cogitatis, hostiles laqueos evadamus, nulloque contracto crimine hinc profecti, cœleste regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XLIII.

*In sanctum Antonium, et martyrem Thaddæum. De divina liberalitate, vitæque ineunda Dei illicite ac formosa.*

Fratres Patresque, semper Dei liberalitate fruente, semper ei quoque agamus gratias oportet, mente fervida, et qua par est acrimonia, quo auctiorem ejus benevolentiam paremus. Vide enim sis quale hoc præsens beneficium est: an non Agarenorum metu sedibus extorres, in quo sumus abjecti loco, velut in solitudine, pavit, idque complures dies? an non hic instaurationi fenestram patefecit; ubi ædes augusta, domicilia venusta, atque hic a quo sumus excepti, suffragatur frater? Ut in nos ingens clementis Dei procuratio sit: nam quid fieri oportuit, neque factum est? Sub fugam panes, vina, pisces, cætera necessaria profudit, ac plus necessariis etiam, ut stupori essemus spectantibus. Pro quibus nauci quisque nostrum non damnas modo est agere grates, sed animam quoque in necem dedere: itaque, cohortor, acriorem ejus amorem inflammemus, toti cum eo cohærescamus, vicem gratissimam reddamus (11). Quamnam? vitæ hic institutum quoque venerando ejus nomini gloriosum et illustre, hoc comprobando effato: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est* <sup>89</sup>.

Quin Apostoli hæc alicubi est sententia: *Deo gratias qui semper triumphat nos in Christo, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt* <sup>90</sup>. Viden' ut Dei fragrantia sit virtute præditus, ubicunque locorum versetur? neque enim fas est virtutem tegi, quin eam consecutus passim innotescat, scriptumque est: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* <sup>91</sup>. Ergo civitas est animus, mons culmen

virtutum: quo qui conscendere, ceu luminaria fulgent in orbem, vitæ instar habentes, mea in Christi diem gloria. Hunc nos, fratres, sacrum montem conscendamus quoque: quem superare nequeamus, ni his inferis primum relictis, id est, carnis animique libidinibus, atque hic vitæ perditis voluptatibus, quorum fuga virtutis est assensus. Quamobrem mens februator a sordidis cogitatis, oculus rite intueri eruditor, auris flagitiosæ auditioni clauditor, lingua futire coercetor, manus retrahitor a contrectandis quæ minime decet, pes dirigitur in concordie pacisque viam, cuncta ad ambitionem Christianam membra instituuntor, ac consecrantor: nam ambitiosus vel maxime est Christus animi vitiis purgati. Quippe hic inferus præstantem corpore, cœli Rex Deusque, Spiritu scitum legit et amplectitur, quantumvis facie pannosa, cæcum, exuccum, claudum, aliisque cunctis præditum, quæ fœda hominibus apparent. Hinc ignobiles nobiles, inglorii gloriosi, inopes opulenti; hinc beati apostoli e piscatoribus terrarum orbis principes; hinc sanctus Antonius, qui illiteratus foret, doctis doctior; hinc, ut affiniore utar exemplo, Thaddæus noster e Scythicis natalibus, ac servitutis jugo, uti nostis, ad confessionis Christianæ fastigium evasit, mundoque factus conspicuus est. O infandam clementis Dei humanitatem! quam facilem nobis ad se ingressum præbuit! siquidem non perductor opus est, non pecuniæ, non humana ulla temeritas, sed adhibenda solum voluntas, omnisque confecta res est; nam penes quemvis, qui quidem velit, bonum est qua parvum, qua magnum, qua doctum, qua indoctum, quemadmodum et penes cernere volentem sole frui. Ergo vis in cœlis præstare? arripe hic extremas. Vis Dei filius vocari? animum a vitiis tranquilla. Vis Dei oculis collustrari? serva justitiam. Cæterum ad hæc quis idoneus? Quis? pernix arripere disciplinam, exsequi justitiam, opes cogere divinas. Sed fas sit et nobis, pari studio vitalibus obitis præceptis, cœleste regnum cum sanctis omnibus inire per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper in omnemque perpetuitatem Amen.

### SERMO XLIV.

*Ne quid in fratres per favorem obeatur, aut ab œconomo, aut quovis alio, in officio sibi credito, sed benevole et amice, quo semper laudetur Deus.*

Fratres Patresque, forsitan contristavit vos superior catechesis, qua proscidi frequentes. Quamquam id expedit quoque, nam secundum Deum tristitia gaudium molitur, et benevola verberatio revocat ad officium, atque hoc denique Apostoli dictum probatur, *Per arma justitiæ a dextris et*

<sup>88</sup> Psal. Lxv, 7. <sup>89</sup> Matth. v 16. <sup>90</sup> II Cor. ii, 14. <sup>91</sup> Matth. v, 14.

(11) Tale aliquid deest in Græco.



a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per A infamiam et bonam famam<sup>92</sup>, utrisque enim regimur, ac pati utraque necesse est, neque aut frangi laudibus, aut reprehensione concidere. Enimvero rursum me ad eundem sermonem confero. Quid hoc scilicet? oportere ministrantem, æque ac cui ministretur, sollicitum esse in ministerio (œconomum, inquam, vicarium, cellarium, obsonatorem, structorem, et qui alii in ministerio positi sunt) ne sub ejus sententiæ execrationem cadat: *Maledictus qui facit opera Domini negligenter*<sup>93</sup>, quin potius hanc Dominicam commendationem mereatur: *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem, amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum*<sup>94</sup>. Viden' quem, quantumque honorem tribuat probe ministranti? igitur et maligne ministranti contrarium judicium irrogabit. Eam ob rem vos cohortor, fratres, quod cuique officium creditum est, integre tuetur, unde et concelebret Deum, et salutem sibi quærat. Œconomus quæ corpus postulat tribuito, suum cuique impertiens, non delectu ac per favorem quid agens, sed benevole et amice. Cellarius videto ut cibos in fratrum commune paret sincero instaurationis eorum desiderio, neu quid neglectum habeat, aut corruptum in cellario. Obsonator conscientiam servato in jure, ac condimentis, ut officium ad Deum referens. Structor mensam tergito, et ministrarios urceos, fratribus ceu Deo ministrans. Ad eundem modum alii aliis obeundis ministeriis. Neque hæc dico, ut quibus ministratur instigem in ministros: quin ut, in quo quisque est vocatus, officio satisfaciat, Deum respectans, a quo mercedem præstoleatur. An non et nauci hic ego procurationem sum sortitus, ac pol maximam? Ergo ut me convenit pro animis vestris sollicite vigilantem unumquemque et privatim, et publice hortari, Deique jus, et æquum, ac ingruentem mucronem promulgare, ita vestrum sit quoque ministeria impigros obire. At siamus, fratres, magis magisque unum corpus, unaque mens, ut in unam spem acciti et vocati, mutuo adamantes, ceu D mutua membra, mutuo sustinentes, mutuo amplexi, mutua onera portantes, neu committamus ut mutando consilio decursum ignave tempus sub exitum revocemus, quin simus perpetuo parati, procincti, in spem arrepti, sinceri, inculpati, ut cum bona conscientia hinc profecti cœleste regnum nanciscamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO XLV.

*Fratrum tumultuatorum reprehensio, ac monitoria de modestia doctrina.*

Fratres Patresque, paulum a vobis peregrinati, et iterum reversi, tumultuatos offendimus (nam oportet et in publicum patefieri), tantaque insolentia, ut quidam manus extenderint, ac alter alterum atrociter prehensarint, nec citra iram et clamorem.

Enimvero de altero minus est novitium, quippe laico, ac nondum in hanc civitatem censo; de altero impendio mirum, monachum, mundo crucifixum, carne præditum quasi quibusdam clavis suffixa, id flagitium fecisse. Ergon' te, frater, de cruce esse degressum? ergon' clavis exsolutum B Judaice Christo manus intulisse? nam, *Qui fecit, inquit, uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecit*<sup>95</sup>. Non te hæc testatum timuisset? Non spectatores fratres et hospites refugisse? *Sic luceat, ait, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*<sup>96</sup>. Tu ei contra hoc tuo scelere tenebras effudisti, ut per te Dei nomen contumeliis lacertum sit.

Heu me sontem! ad quod vitæ fastigium vocati, quo descendimus, pari indignitate vitiosis laicis suscepta! Etenim quod ille pugnam ocepit, inquit. Itane non audiisti herum ministro dicentem, qui pugnum ingessisset, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis*<sup>97</sup>? et in patibulo rursum: *Pater, dimitte illis peccatum: non enim sciunt quid faciunt*<sup>98</sup>. Quo exemplo debebas et opprobriis petitus colaudare, et pulsatus deprecari, et vexatus contumelia blandiri: at tu bonum minime imitatus, videsis cujus effectus es simulacrum. Hæccine est catecheseon præmonitio? hoc Apostoli scitum, et edictum: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia*<sup>99</sup>, ut et manus consereretis, et crines carperetis, et alter alteri fauces angeretis? Dei quidem calcata lex est, et *argentum nequidquam*, ut vaticinis utar verbis, *argentarius cudit*<sup>1</sup>, frustra- que infelix, ac sine fruge laboro.

D Sed tamen nec sic absistam quin meas partes exsequar, præsertim nec paucos habens serio audientes. Unde igitur ei immodestiæ causa? necesse est enim crimen non incessere solum, sed etiam medicinam ostendere. Sane hæc sons molita conscientia est fastus animi, prava immeditatio: Si id, ait, mihi dicet, hoc respondero; si id faciet, par fecero. Deinde ex incidente quopiam prætextu irritatione coorta, ibi tum quæ intus sunt consilia agitata prodimus in apertum: nam hæc ejus explorata sententia est: *Ex abundantia cordis os loquitur: bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus*

<sup>92</sup> II Cor. vi, 7. <sup>93</sup> Jerem. xlviii, 16. <sup>94</sup> Matth. xxiv, 45-47. <sup>95</sup> Matth. xxv, 40. <sup>96</sup> Matth. v, 16. <sup>97</sup> Joan. xviii, 23. <sup>98</sup> Luc. xxiii, 34. <sup>99</sup> Ephes. iv, 31. <sup>1</sup> Jerem. vi, 30.



*homo de malo thesauro profert mala* <sup>2</sup>. Itaque sit A animus nobis bonorum consiliorum thesaurus, ac non modo non proferemus mala, aut pugnabimus, quin dextram ferienti malam præbebimus et sinistram <sup>3</sup>, aliaque cuncta ex evangelico præcepto feremus. Sed *cur te is perditum, Israelis genus* <sup>4</sup>? haud abs re hic dicamus quoque, qui de die in diem vitam trahimus segnem, et sine fruge, ligurire ac permadere equidem sciti et oppido laudati? Ergo haud muniamur quo minus acerbemur, præfuramus, irascamur, clamemus, unde tanquam tela injuriæ proferantur, atque his etiam graviora? En edico equidem vobis sub instauratore omnium Deo, ac Jesu Christo, qui egregiæ confessionis coram Pontio Pilato testimonium peregit, *Servatote præceptum, ut vociferatur Apostolus, sine macula, ir-* B *reprehensibile* <sup>5</sup>, ne me adigatis atroces in vos pœnas statuere; quin gravitate ac modestia præditi, et me sontem oblectetis, et Deum procuretis, æternis bonis fruituri Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio, cui gloria, et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XLVI.

*In pugnatores. De pace ac mansuetudine, comitateque et virginitate.*

Fratres Patresque, nec me alloqui salubris, nec vos frugi auditionis satietas capiat necesse est; sed utrique ad utrumvis sic animemur, ut aquam haurire scientes. Atque id est argumentum profectus, C hæc occasio salutis; sternunt enim ad res viam sermones, honesti ad honestas, contrarii ad contrarias. Igitur qui agere honesta cupiamus, honestis sermonibus ac probis contuberniis utamur, ne aberremus ab officio: quod Apostolus docens scribit in hæc verba: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem frugi et utilis, ut det gratiam audientibus, et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* <sup>6</sup>. Et rursum. *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia: estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem; sicut et Deus in Christo donavit nobis* <sup>7</sup>.

Videtis quid edicat? quæ accuratio præcepti? Et D quos alloquens vero? non monachos, sed omnino omnes mundanos. In monachos quidem hæc quadrent: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis et concupiscentiis* <sup>8</sup>, ceu scelerato facinorosi inagiles. Quæ cum ita sint, viderint nunc pugnatores quo supplicio sint digni, qui non pugnarint modo, sed invicem manus quoque iniecerint. Ten' adhuc laicis accensum in monachum involasse? ten' ausum qui monachus sis, obedientiæ, ut sic dicam, candidato fustem illidere? Itaque non monachus es, sed monomachus; non exercere, sed latrocinare; non pacis, sed iræ filius es.

Scilicet non ex injuriis profecta vulnera, et vulnerum asseclæ necesse? Ergo hoc suscepto scelere, quibus convenit pœnis subjicientur, ne in pejus provehantur. Cæterum vos, charissimi fratres, ceu discipuli mansueti, ac pacem largientes heri, placide mansueteque degite, pacem amplexi cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua Deum contuebitur nullus, maxime reveriti Dominicum corpus atque sanguinem, quo simus potiti. Quamobrem, ne qui imbutus animus est sine macula donis, tumultibus, insania, fœdis desideriis imbuitur; neu os, immortalis hausto fonte, sordidos sermones, ac cloacas inanes edito; neu oculi, Augusto sanguine piati, efferrum cernunt, et aspectus meretricios fingunt; neu manus, sacris contractis opibus, quæ nefas sit attrectato; quin cuncta membra proinde ac Christi membra custodiuntur atque servantur. Equidem cum virtus ardua omnis summique voti est acquirere, tum virginitatis instar nulla est: nam hæc illa est quæ jam olim in pomario reluxit, prius quam decessoribus a serpente oblata fraus est, et Christi effecta Mater, et angelos ex hominibus molita est: quippe matrimonii et origo hæc extremum, corruptela est; et virginitas mundum ad immortalitatem surrigit.

At qui cam paremus? dicat quispiam. Qui aliter censent nisi laboribus mille ac sudoribus? ubi est enim ingens perfunctio, studium quoque opus est summum. Quocirca ut irruentes acutus ensis concidat, ad eundem modum et animus Dei timore C quasi quodam fabrefactus igne, et aqua temperatus lacrymarum, diabolica sensa obruncato, prædæque habeto: sin accidat obtundi, rursum temperator, cædendis non mille solum, quin decem millibus quoque, uti est in Davidem jactatum: siquidem multi qui nos e sublimi oppugnent, milleque instructa in nos acie nequam spiritus: quibus objicere se ad extremum, Christi militem ac vere luculentum victorem probat. Sed divina misericordia et consceleratis venia contingat, et nobis, qui rite currimus ad cuncta Dei præcepta exsequenda, insuper alacritas, regnum adepturis cœleste per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XLVII

*Permittendum non esse ut pravæ in nobis cogitationes resideant, ac de non pulsando*

Fratres Patresque, nihil agimus magnum, postriedie Sabbati bis terve vos alloquentes, quin si fas foret vel quotidie facitare, præberet id non exiguum commodum: etenim quotidie omnes labimur, interque nos cohortationem vicissim, atque adjumentum requirimus, quo surrigamur, et in priorem revertamur statum: nam equidem status est virtus, ab eaque declinatio vitium est atque nominatur.

Jam id gravissimum quisque, ac projectissima

<sup>2</sup> Matth. xii, 54. <sup>3</sup> Matth. v, 39. <sup>4</sup> Ezech xxxiii, 11. <sup>5</sup> I Tim. vi, 14. <sup>6</sup> Ephes. iv, 29, 30. <sup>7</sup> ibid. 31, 32. <sup>8</sup> Galat. v, 24.



vita scelus censeat, actione defungi; puta stupro, adulterio, libidine, fœditate, et quæ alia sunt flagitia, quorum et permolesta lex est; at diligens, et accuratus, nec deformationes animi turpes, ac quæ hinc corpori titillatio quæritur, insontes habet, cunctaque satagit abolere, et a noxiis affectibus quietem ducere: quod est pacem habere cum Deo per Christum Jesum Dominum nostrum<sup>9</sup>, ut Apostolus loquitur.

In qua animus collocatus, vehemente gaudio ac voluptate inexasurabili fruitur, Dei notionibus inerans, et infandæ majestatis contemplationi penitus immersus, ut sui obliviscatur quoque, sin eo statu demotus, brutis desideriis trahatur, tunditur, jactaturque, ut a fluctuante mari agitata navis, ac ni opifer instet Deus, et naufragium patiatur.

Itaque danda est opera, fratres, ne residere in nobis pravas cogitationes sinamus, sed evellamus radicitus: siquidem nactus serpens inspectandi locum, ac paulatim subeundi, plane haud absistit nisi mortem pepererit. Ergo ait Scriptura: *Hic tibi tuebitur calces*<sup>10</sup>, id est, actionis finem et extremum, *tu ei caput*, hoc est cogitationis incursum. Igitur obsistamus deinceps animose incursibus, palantesque, cogitationes prædemur, et salsum quasi quoddam peccati mare dividamus; quo cum Davide nos quoque dicere queamus, *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*<sup>11</sup>. Cæterum non id vitium duntaxat animum conturbat et evertit, quin vel maxime furor: nam, *Turbatus est*, inquit, *a furore oculus meus*<sup>12</sup>; et: *Furor illis secundum similitudinem serpentis*<sup>13</sup>, et, *Furor insinuamentum stabulatur*<sup>14</sup>, et, *Impetus furoris ejus ruina est ei*<sup>15</sup>. Qui unde nascitur nisi ex arrogante ac contempore sensu, qui se aliquid arbitretur, atque in subditum ferociat? quippe animi submissus, herum imitatus, lenis et sedatus est, non contendens neque clamans. Ac si quid accidat, magis fert injuriam quam infert, feritur, non referit. At quibus de agitur, non solum furiose contumeliis certant, sed pulsare audent quoque, et pol habitu conjunctos fratres; tum incusati de temeritate, respondent nequaquam se Canone teneri, postquam, inquit, non per nos, sed per alios pulsavimus, advocata in sceleris patrociniū e Scala D sententiola, qui non videant coactum esse eum sermonem, et æqui exsortem. Ipse id adeo ostendit Pater, Apostoli verba suggerens, atque hæc scribens: *Argue, increpa, obsecra*<sup>16</sup>, non etiam pulsa. Quapropter si haud pulsare jussit, quis addere aut demere ausit de editione apostolica? Præterea si non per se, sed per alium pulsare liberat culpæ, omnes cædis crimine tyranni absolvuntur, qui non per se, sed per suos lictores, vates ac martyres peremere, nec jam ullus dixerit, *Hic et ille sup-*

plicio hunc et illum affecere, sed lictores edere vestiget, quod oppido est insulsum. Jam qui apostolici canonis edictum negligetur, episcopum, aut sacerdotem, aut diaconum pulsantes seu fideles scelerate, seu infideles per injuriam, abdicari jubens? An fugit, scilicet, sanctum Spiritum recordari per alium verberis? Sed apagesis has nugas ab iisque qui pecuniis sint (12) creati, exemplum capiat oratio. Ecquid qui non per se, sed per alienas manus seu acceperint, seu dederint, canonicam effugiunt abdicationem? Minime gentium. Idem hic quoque de furoris fœtu habendum censendumque est, quem tolli ex animis sit necesse, æque ac pravam cupidinem, nec dextra sinistrave, sed via regia, id est evangelicis et apostolicis legibus, sit grassandum; ita enim sanctorum vestigiis obeuntes, in vitam cum iis æternam occurremus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XLVIII.

*De obedientia, et concordia, atque pace.*

Fratres Patresque, rursus accingor ad sermonem, maxime qui Apostolum audiam dicentem, *Attende tibi et doctrinæ, hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*<sup>17</sup>, itaque fari me necesse est, vos autem aures præbere, ac quæ sitis edocti in opus deducere.

Quid igitur nunc sumus dicturi? De vita nostra corporali, qui, etsi in exilio, tamen cœnobiace degamus, non unus alterve, sed complures in simul.

Ac cum cœnobii commoda et opes non habemus, tum labores allucramur; nam juges commeant fratres, patresque, et hospites amici, atque pauperes, quibus omnibus occurrere ac satisfacere, neque exigui spiritus est, nec minimæ molestiæ.

Prudens ergo ac vigil œconomus sit oportet, ceu Dei œconomus, quanquam id profuturum est nihil, si non vicarium quoque habeat collegam et concordem, hic cellarium sequacem, cellarius adjutantem se obsonatorem, cæterosque cæteri consentaneos. Scilicet ut uno in corpore multa insunt membra, quæ invicem omnia procurant, seu unum laboret, cunctis condolentibus, seu cohonestetur, cunctis gratulantibus: haud secus in hæc republica quoque, ni eadem ratio servetur, non cœnobium sit, non pax et concordia, sed tumultus ac dissidium. Quæ cum ita sint, qui audet quisquam ex libidine moveri, aut jam lucente die privato studio vel opificio vacare, neque ad bonum publicum prodit? Qui inducit animum advocatus operi negare, neque se vel in iis quæ vires superent præbere, sane non se is gerit subditum, nec fratrem, sed

<sup>9</sup> Rom. v, 1. <sup>10</sup> Gen. v, 15. <sup>11</sup> Ps. LXV, 12. <sup>12</sup> Psal. vi, 8. <sup>13</sup> Psal. LVII, 5. <sup>14</sup> Eccle. VII, 10. <sup>15</sup> Eccle. XXVII, 53. <sup>16</sup> II Tim. IV, 2. <sup>17</sup> I Tim. IV, 16.

(12) Id est, dignitates ecclesiasticas adepti.



hospitem. Etsi id autem contigit, saltem deinceps A gerere<sup>22</sup>, quemadmodum Apostolus docet. Sed cavetote, ne qui deprendetur inmodestia pœnas expetat. Non auditis quid Apostolus edicat? *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus donavit nobis*<sup>18</sup>. Quamobrem demus operam nos quoque vicissim, et alter alteri dederit, mutuis ferendis oneribus legem implentes Christianam<sup>19</sup>, uti scriptum est. Admonui vos ante, et nunc jam admoneo, ne cogitationum frangamur æstu, quin cum sancti Spiritus lætitia vite quoddam exercitiæ certamen peragamus, ducem ac perfectorem fidei Jesum respectantes, qui et precanti vota tribuat, et victoriam vincere volenti.

Nescitis ut jamjam repente accidit tempestas, restitutum de integro cœlum est? Idem in cogitationibus valet, paulum conturbant, et denuo abscedunt. Atque utinam iis plane laud capiamur! nam quidni pacem habemus in animis perennem? sed nequaquam fas est, postquam sub mutabilitatem subjecti nec diem permanemus iidem, nedum perpetuo.

Jam videsis mihi atrocitatem diaboli, siquidem instat repulsus, ac tenebræ cum sit, in angelum se quemdam lucidum distingit, dolo nos intercipere volens. Verum facessat a nobis draco dicamusque, Non te, Christe, negamus, non beatam confessionem mentimur, non virginitatem prodimus, non generositatem projicimus, neque enim estis nescii, fratres, e quibus in quæ recidimus. An non e sordibus in majestatem, ex ignoratione in scientiam, ex ignominia in gloriam, additaque ratio, scientia, laus est, ac manus et oris dexteritas? equidem vere auro contra pretiosiores estis pro aurea vestra obedientia, filii. Ecquid ergo opus est porro? patientia, nam *Patientia vobis necessaria est, inquit, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissiones*<sup>20</sup> Quasnam? ipse ait Dominus: *Vado parare vobis locum, et si abiero parare vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*<sup>21</sup>. Quocirca hæc cogitantes, ac quæ sanctis ostendenda summa et ineffabilis gloria est, prospectantes, cuncta leniter seramur, seu esuriendum est, esuriamus; seu vapulandum, vapulemus; seu moriendum, moriamur, perennis vite hæreditatem adituri per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XLIX.

*Sexto Ex carnaliorum. De abstinentia, ac confessione quæ incumbat.*

Fratres Patresque, præsentis dies plerique ferias appellant, per quos helluentur vinoque bacchantur, ignari abstinentiam eos profiteri carniæ, non crapulæ, et ebrietatis functionem, nam id Græcarum feriarum proprium est, Christianorum, uti frugalitate, nec corporis pro libidinibus curam

gerere<sup>22</sup>, quemadmodum Apostolus docet. Sed agat sane ut lubet mundum quæ in legem abierit insania, nos intemperantiam, fratres, vel in eis quæ jam vesci est permissum fugiamus, scientes eam peccati esse matrem. Etenim decessor noster Adamus, quandiu ab interdicto esu se abstinebat in pomario, lætabatur ac ovabat, mactus divinis obtutibus et iniuriis; victoque incontinentia velita arbore percepta, extemplo pomarii deliciis proscripso mortis genitrix intemperantia facta est.

Sodomitæ quoque perditæ præcupediæ affluentia luxu, iram in se contraxere Dei, sulphure ignique obruti. Nec non et Esau ille exosus, avaris oculis inescatus, paucillo edulii prærogativam vendidit ætatis. Quin Dei populus cibo potuque capiendo sedere, ac surrexere ludere. Neque his diversa sunt quæ per hos dies factitantur, comessationes, ebrietas, clamores, diabolica tripudia, quæ non interdum solum obeantur, sed magnam quoque partem exigant noctis. Tantum intemperantia malum est per quam in orbem mors invasit, ut habendæ sint nobis Deo gratiæ, qui ab inani eo instituto assertos in hanc felicem transtulit vitam, in qua non intemperantia agitur, sed moderatio; nec ebrietas, sed sobrietas; nec turbæ, sed pax; nec tumultus, sed quies; nec turpiloquium, sed gratulatio; nec flagitium, sed castitas, ac sanctimonia, et integritas. Ex hac divini nostri prodire Patres, qui Deo duce vitia calcavere, dæmones fugavere, cum angelis certavere, prodigia edidere, cœlestem gloriam peperere, mundo admirationi fuere: quorum unus est beatus Antonius, cujus vitam legimus, ac quemadmodum a Deo in hoc eis cœlum complexu sit evecus perspeximus, ut terræ quoque reges magnum ducerent ad eum scribere, scriptamque ejus adire vocem. Horum nauci nos quoque beatorum vitam sequimur, imitarique probat monastica perfectio, mundi despectus, patriæ, generis, amicorum, patrimonii repudium, subjectio, morigeratio, præsens confessio, ob quam capite fortunisque appetimur. Quamobrem gaudeamus, et invicem gratulemur, quod hæc nobis largitus Deus est, ac vitam agimus spiritalem, in qua liceat, si velimus, quotidie feriari, et gaudio sine fine potiri. Itaque, cohortor, tum studium hoc nostrum monasticum, tum confessionem firmiter tueamur: nam sparsa equidem fama est imminere rebus nostris imperatorem, ac mirum ni veniet repente apparitor regius. Verum ne consternemur rumore, quod si a nobis Deus est, quis contra nos? Scilicet qui ante opitulatus est, non opituletur et imposterum? tantum stemus animose, tantum circumspecte caveamus, viresque ipse præbebit, qui ex ejus voluntate vita ad extremum perfuncti cœleste regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

<sup>18</sup> Ephes. iv, 32. <sup>19</sup> Galat. vi, 2. <sup>20</sup> Hebr. x, 36. <sup>21</sup> Joan. iv, 2, 4. <sup>22</sup> Rom. xiii, 1 seqq.



## SERMO L.

*Dominica Excarnaliorum. De magno et illustri Domini nostri Jesu Christi die. Extremis Excarnalibus dictus.*

Fratres Patresque, lex est universalis hodierno die mundanos esu carniū defungi, magnumque in iis voracitatis ac bibacitatis certamen videas agitari, nec non et fœda ludicrorum spectacula, quæ vel referre turpe est; ac quos par erat frugaliter uti, et de præsentibus Deo gratulari, seseque ad imminens convivium, ut meretur, comparare, diabolicis acti fraudibus, alia omnia faciunt, alium se excepturos pro alio demonstrantes. Quorsum hæc autem mihi dicuntur? ut ne eodem nos quoque inopes monachi mentem dimittamus, neu eorum desiderio ducamur, quod nequaquam dignum sit desiderio, sed planctu; quin oculis in Evangelio, quod hodie sit audiendum, delixis, de quo et cantatus Canon est, magnum et illustre Domini nostri Jesu Christi adventus diem cogitemus, qua judex ovibus dextra, hædis sinistra collocatis, illos hac felice et optatissima voce compellabit: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* <sup>23</sup>, his diram ac tristissimam eam sententiam loquetur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* <sup>23a</sup>. Hæc horrore sunt, medius fidiis, et pavore, ac consternatione plena: quæ nos juxta atque illos oportet reputantes accidere et allacrymari.

Deumque propitium parare, priusquam ad experientiam sit deventum rerum quæ audiantur. Ac cum sic obeant illi, nos, cohortor, Evangelica præconia pernices audiamus, timide atque trepide Deo servire satagentes, cuncta ex animo vitiositate remota; omnique invicem præclaræ functionis inducta scientia, penita misericordia, benignitate, submissione, mansuetudine, lenitate, seu quid aliud est eximium et laudatum, quo digna obita Christi Evangelio vita cœleste regnum eriscamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria, et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LI.

*Quarto Tyrophagiorum. De fiducia atque in præsentis periculo constantia.*

Fratres Patresque, institueram hodie de continentia disserere, postquam in foribus S. Quadagesima est: sed quæ rumoribus jactantur nequaquam id agere permittunt, mente ac sermocinatione alio traducta: jam enim vobis edixi superiore Catechesi imminere rebus nostris imperatorem, et nunc aiunt per Nicomedem minas intentare.

Quibus si occurremus egregie, omnino haud sustinebit. Sed efficiat sane quod animum induxit,

<sup>23</sup> Matth. xxv, 34. <sup>23a</sup> ibid. 41. <sup>23b</sup> II Cor. i, 5-7.

<sup>24</sup> Matth. x, 5.

(13) Paulo aliter hæc in Græcis vulgatis et Latino interprete leguntur. Nos auctoris citationem fideliter proposuimus.

A quid tum? postea scilicet rursim oppugnari rursim est coronari, ac quo majores sunt ærumnæ, hoc sancti Spiritus major consolatio est: nam Apostoli hæc sunt verba: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestra consolatione et salute* (13), quæ operatur in tolerantia earundem passionum, quas et nos patimur, (et spes nostra firma est de vobis) sive consolamur, pro vestra consolatione et salute, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis <sup>24</sup>. En iis verbis ostendit socios nos esse vicissim in solatiis et ærumnis, ceu unum corpus, unamque mentem, ut in unam spem quoque accitos ac vocatos. Quamobrem ne in posterum concidamus, fratres, neu doleamus,

B quin una omnes consurgamus, tanquam eximii Christi milites, arma ferentes non carnalia, sed Deipotencia, quæ arces evertant, id est prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, Christi hic quoque exsecuti sententiam, *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* <sup>25</sup>. Quo extorres ne quid esuri sumus, bibitive, aut amicturi curemus: ipse enim dixit: *Non te deseram, neque relinquam* <sup>26</sup>, ut vel indidem fenestram sit aperturus, atque adjumento nobis in omnibus futurus. Ecquid non gaudeamus, his affecti promissis? non ovemus, qui Dominici simus discipuli? sic persecuti sunt et sanctos apostolos, quos Dominus affatur in hæc verba: *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete in illa die, et exultate* <sup>27</sup>: itaque gaudii sunt atque exultationis præsentia, quæ inenarrabilem lætitiā, vitam perennem, ac sine fine regnum concilient: *In viam gentium ne abieritis*, ait, *et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* <sup>28</sup>, hoc accipiendum in hæreticos. Quapropter eorum neu ecclesias, neu domos iueamus, quin ubicunque pacis filius, semen pietatis est, eo divertamus, inibique versemur, uti et proximis temporibus; caveamus qui veritatem fingant, qui præfectos se dicant, neque sint, sed pluri qui errent, et in errorem impellant, deludant ac deludantur, quorum justa damnatio est, tueamur consolidam fidem, tum integram vitam,

D alterutrum alterutro non lædentes, quin utrinque integri et perfecti. Quæ proposita confessio est, de Domini nostri Jesu Christi incarnatione ducitur, ut qui eum neget repræsentari pictura, neget et corporatum conspectum: idem est enim corporatum esse conspectum, ac repræsentari pictura. Qui sacrām ejus imaginem non adoret, Dominum non adorat: inest scilicet in imagine princeps exemplar, atque in principe exemplari repræsentati cujusque imago elucet et adoratur.

Sin adorare se leonemachi dicant, mentiuntur: nam, *Confitentur*, inquit, *se nosse Deum, factis au-*

<sup>25</sup> Matth. x, 23. <sup>26</sup> Josue i, 5. <sup>27</sup> Matth. v, 41.



tem negant<sup>29</sup>. Quare Christum nos ejusque imaginem, Deiparam ejusque imaginem, sanctos eorumque imagines adoremus; quam apostolicam doctrinam a sanctis Patribus acceptam vobis, filii fratresque, porro cœu depositum concedo, per sanctum Spiritum, qui inhabitat in vobis, illæsam et incorruptam conservandam. Quod superest, deprecamini pro nobis, ut ore reserando sermonem tribuat Deus, quo sermoni resistamus neu expectationem frustremur, unaque vobiscum imminens certamen sine fraude obeamus, cunctis cœleste regnum adepturis per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LII.

*De continentia ac comprecatione, habitus sexto Tyrophagiorum.*

Fratres Patresque, vitam hanc nostram sæpe prædicans felicem, non id adulatione, quin veritate equidem facio, nec qui deplorare mundanos velim, sed qui alacriores vos cupiam reddere: nam et hodie scitis quæ in mundo gerantur, crapulæ ebrietas, comessationes, pocula, clamores, tripudia, ac quæ alia fanatica sunt. Maligni facinora, quorum damnatio est, quemadmodum scriptum est<sup>30</sup>. Cæterum nostra haud ejusmodi vita est, sed qualis? Deum noctes diesque laudamus ad præscriptam a sanctis Patribus legem, psalmodiam excipit psalmodia, lectionem lectio, comprecationem comprecatio, mens cogitationum magistra est, animus in meditandis divinis oraculis deditus, silentium agitatur tempestivum, colloquium competens, invicem servimus, invicem propugnamus, omniaque modo, et tanquam de menso reguntur. Sin corporale opus est solatium in festo, ne id absolum quidem: auditis enim quid Judæ herus imperet: *Quod facis fac citius: hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerat ei: quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret*<sup>31</sup>. Viden' ut festi ac pauperum cura ducebantur? quod inopes nos quoque obire, ut videtis, animum inducimus. Sane agenda Deo gratiæ, qui nos in hanc vitam dignatus conscribere est, non pro operum quæ fecimus meritis: siquidem nihil egimus in terris bonum, sed pro ejus misericordia gratuita vocatio est. Ut obstrictus sit unusquisque nostrum semper animi dicere contritus: *Ecquis ego sum, Domine mi Deus, quæve patria domus, studio complectare?* Atque hæc penes nos, quæ in mundo invenias rarius: nam nocti succedit dies in hujus sollicitudine ævi, opum fraudibus, cæterisque curis, ut vel respirare quis nequeat, alter alteri pauperiem facit, alius cum alio confligit, effusa sunt in terram, ut in va-

licine loquar<sup>32</sup>, stupra, furta, mendacia, diræ, aliaque quæ nec facile recenseam. Eaque cuncta memoria beatus Chrysostotomus complexus princeps censuit ægre quotam orbis terrarum partem servari: quæ equidem terribilis, sed tamen vera est oratio. Ut in ea sententia lugendum ac mœrendum ei sit, qui serio habeat sensum. Scilicet non fratres sumus inter nos omnes? non ex uno sanguine, eademque terra? Non vel jumentum cernens in præcipitium ferri, misericordia tangere? quo magis fratrum et confidelium? Hinc Apostolus crucis hostes Christianæ plorare<sup>33</sup>, pro assiduo animi dolore comprecans<sup>34</sup>; hinc Jeremias Israelis stirpem lamentari variaque lamenta exarata relinquere; hinc magnus ille Moses Deum inclamare: *Si remittis, remitte sane hanc eis noxam; sin minus, dele me quoque e tuo libro*<sup>35</sup>. Sanctique eundem cuncti affectum secuti, pro aliis deprecari. Ut nobis etiam, si assectari eos amamus, non res nostræ spectandæ modo sint, sed et pro mundo comprecandum, miseratione ductis eorum qui vitam agant perversam, qui hæresi teneantur, qui in errorem sint abducti, qui in ethnicis caligent, breviter, omnium mortalium, postquam jubet Apostolus *obsecrationes, et orationes fieri pro omnibus hominibus*<sup>36</sup>: ita enim nobis ipsis præ reliquis emolumentum quæramus, compuncti, habituque defuncti vitioso: quo et exsoluti perennem inire vitam mereamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LIII

*Dominica Tyrophagiorum. De jejunio, et quemadmodum serii ac morigeri subditi verum jejunium sit propriæ excidium voluntatis.*

Fratres Patresque, benignus Deus, qui vita inbutos ex anno in annum ductat, benevole ad hoc quoque jejunii tempus perduxit, in quo unusquisque piorum uti lubeat certet, alius in continentia deditus, duplam exigens triplamve, alius in privilegio, tantum tantillumve pervigilans, alius congeniculationi plus vacans, alius alteri cuiquam functioni, planeque ingens per hos sacros dies studium atque diligentiam cernas: cæterum qui morigeretur serio, sub obedientia positus, non definito ullo tempore, quin perpetuo idem obtinet certamen. Quodnam? nequaquam gerere se ex sua libidine, sed ducis regi deformatione: quod cum aliis cunctis studiis sublimius est, tum martyrii habeat diadema. Quanquam est et nobis mutatio ciborum, adgeniculandi contentio, ac psalmodiarum accessio, secundum traditionem ab origine descriptam. Itaque cohortor, jejuniorum munus læti capiamus, non mœstitiæ præferenda, quemadmodum docemur<sup>37</sup>, sed cum animi hilaritate obeantes, neu pravitate, detractioe, ira, mal-

<sup>29</sup> Tit. i, 16. <sup>30</sup> Rom. iii, 8. <sup>31</sup> Joan. xiii, 27-29. <sup>32</sup> Osee iv, 2. <sup>33</sup> Rom. ix, 2. <sup>34</sup> Rom. x, 1. <sup>35</sup> Exod. xxxii, 32. <sup>36</sup> I Tim. ii, 1. <sup>37</sup> Addidi lucis causa, neque enim sunt in Græco. <sup>37</sup> Matth. vi, 16.



gnitate, invidia ducti, quin mutuam pacem et amorem agitantes, comes, morigeri, misericordiae bonorumque fructuum pleni, quietem tempestivam trahentes (siquidem in contubernio iniquis damnosa est), verba opportune facientes (quippe aliena frugi quiete muta), in primisque cogitationum magisterio invigilantes, qui nequaquam aperiamus vitiis fenestram, neu locum diabolo demus. Si Spiritus, ait, potestatem habentis ascenderit super te locum non inveniat<sup>38</sup>: ut lacessere inimicus queat, ingredi non item, nostrique ipsorum heri simus. Igitur ne diabolo fores pandamus, quin mentem undique, ceu Dei spensam, muniamus cogitationum sagittis intactam et illaeram: nam sic domicilium Deo animus fiat, et audire mereamur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*<sup>39</sup>. Breviter: *Quaecunque sunt vera, quaecunque augusta, quaecunque justa, quaecunque casta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus, ut Apostoli utar verbis, haec agite*<sup>40</sup>, pacis vobiscum Deo futuro per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LIV.

*De jejuniis, vacuitateque libidinum, primis jejuniis dictus.*

Fratres Patresque, Quadragesimae tempus cum universo anno compositum simile est intempestuosi portus, quo confluentes cuncti mortales tranquillitate fruuntur spiritali: neque enim monachis solum, quin laicis quoque, parvisque juxta ac magnis, praestitibus, subditis, regibus, sacerdotibus, omni generi et aetati haec anni tempestas salutifera est.

Quippe urbes ac territoria magis supersedent rixis et tumultibus: subeuntque vicissim psalmodiae, laudes, supplicia, preces: quibus clemens placatus Deus pace imbuit mentes, noxasque condonat, si ex animo sincero timide ei trepideque accidamus, et illacrymemur, promissa in posterum emendatione. Sed cum mundanis ecclesiastici censores agunt ex officio (egent namque ut in stadio currentes concertantium vocibus, sic jejunantes magistrorum solatio), equidem, venerandi, caput vobis impositus, vobiscum disseram, atque id breviter. Enimvero jejunium animi quaedam renovatio est; ait enim sacer Apostolus: *Quantumvis qui foris est noster homo corrumpitur, tantum is qui intus est renovatur de die in diem*<sup>41</sup>. Quod si renovatur, proculdubio ad primigeniam pulchritudinem comitur, comptusque in amorem pellicit stipulatum in haec verba: *Ego et Pater veniemus, et apud eum mansionem faciemus.*<sup>42</sup> Quamobrem si id jejunii beneficium est, ut Dei nos domicilium reddat, praelati id, fratres, suscipere debemus, nihil offensi victus tenuitate, scientes Dominum, qui splendide praebere posset, in solitudine

A aliquot millia pane et aqua accepisse: ut nihil dicam insolentiam alacritate lenitam citra molestiam futuram. Caeterum jejunium non cibis definitur modo, quin omni scelerum abstinentia, quemadmodum SS. Patres edixere. Quare abstinemus, cohortor, ignavia, segnitie, detrectatione, invidia, rixa, malignitate, studio nostri, ad privatam normam vivendi licentia, ac pol noxio insuper cupidine, siquidem et jejunantibus veterator imminet serpens. Sane, aspectu pulcher, atque esu jucundus erat qui me interfecit fractus, audimus dicentem. Ac videsis mihi ut pulchrum nominet non natura, sed aspectu: etenim quasi quis floridum rubro cortice tenens punicum, meram putredinem deprendat; ad eundem modum voluptas quoque dulcedinem fingens inauditam, ilicet felle amarior tractata reperitur, praequae omni ancipiti mucrone animum lancinans captum. Id adeo passus est praedecessor Adamus, ab serpente inescatus, qui simul interdictum attigit cibum, mortem invenit pro vita. idemque cuncti exinde haecenus sunt experti, quos in fraudem impulit draco. Scilicet quemadmodum tenebrosus ipse in angelum se lucidum diffingit, ita sane et malum bono, amarum dulci, caecum splendido, foedum venusto, mortiferum vitali commutare et convertere novit, atque hinc sceleratus minime cessat mundum assidue deludere. Verum nos, fratres, nequaquam variis iis fraudibus in diversum feramur, neu idem patiamur quod aves, quae in objectam avidae escam ruentes, laqueo inhaerent aucupis, quin reductis vitiorum involucris, sagaciter merum scelus dispectemus, ac refugiamus serio. Neque non expediti simus ad psalmodias pro tempore, prompti ad laudationes, assidui in lectionibus, congeniculantes in horas pro modulo, exercentes munificia (siquidem honestum laborare est, nec dignus habitus est qui non labore cibum capere), mutua onera ferentes, quandoquidem hic imbellis, robustus ille est, cibo, potu, aliisque paradisi necessariis, ne in perditis aemulemur, sed in honestis; ad extremum invicem benevoli, liberales, comes, morigeri, misericordiae bonorumque fructuum pleni. Ac Dei equidem pax, quae omne superat ingenium<sup>43</sup>, mentes animosque muniat vestros, quocumque insontes principem nunc Resurrectionis diem praevertatis, tum in futuro saeculo, cum redivivi consurgemus, caeleste regnum adeatis per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LV.

*Primae hebdomadis sexta. De incorrupta quasi quadam animi domo virtutem exornanda functione,*

Fratres Patresque, aedes excitantes mundani sumptuosas, nequaquam sibi quietem concedunt, noctu et interdiu laborantes, solliciti, anxii, dum ad finem opus adducant, tantumque iis inest studium,

<sup>38</sup> Eccle. x, 4. <sup>39</sup> Matth. v, 5. <sup>40</sup> Philipp. iv, 8. <sup>41</sup> II Cor. iv, 16. <sup>42</sup> Joab. xiv, 23. <sup>43</sup> I Thess. iii, 16.



ut tota indidem mens occupetur, ac consideret quem-  
admodum et fastigium fiat tecto commodum, et  
picturatum marmoribus solum, nec sine reliqua  
majestate, aspectum curiosis jucundissimum præ-  
beat: ac si quis adeo ab ea cura velit abstrahere  
ringantur, ceu extrema injuria affecti. Equid  
nos autem, qui non caducam, sed perennem domum  
fabricemur, nec quæ e saxis lignisque struatur,  
sed e spiritalibus gratiis poliatur, torpebimus, et  
eorum a tergo consequemur industriam? scilicet  
non ea summa contumelia sit? Jam illæ, et carni  
deditis hominibus exceptis, et heris compluribus  
mutatis, ad extremum solitariae dissolventur, hæc  
hospitio sanctum Spiritum capit: siquidem *Tem-  
plum Dei sumus vivi, et Spiritus Dei habitat in no-  
bis* <sup>44</sup>, ut divinus Apostolus ait. Quin abeuntes hinc  
quoque concomitatur, manens in cœlis indissolu-  
bilis et æterna. At quæ est ejus ædificii materies?  
virtutum functio. Ac capesis mihi in primis De-  
timorem, quasi quodam fundamento locando, nam  
*Initium sapientiæ timor Domini est* <sup>45</sup>: tum autem  
prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam,  
quæ invicem nexæ, et charitatis tanquam vinculo  
coagmentatæ ac consortæ, *crescant in templum  
sanctum Domino* <sup>46</sup>, auctoribus. litteris. Hanc nos  
ædem, fratres, assidue moliamur, neu virtutum or-  
nare pulchritudinem cessemus, quo domesticum ha-  
beamus sanctum Spiritum, vitæque delicio geniorum  
in nos ora hominumque vertamus. Ac cum una  
virtutum continentia sit, in eamque nunc temporis  
potissimum incumbamus, Deo laudem tribuamus,  
qui unum ejus stadium decurrerimus. Equidem fa-  
cies pro solito sunt mutatæ, at mutatione, me her-  
cule, egregia, coorto e continentia pallore reni-  
tentes; ori amarities quæsitæ est, contracto tan-  
quam felle præ cibi tardius sumptione sed imbutæ  
dulcedine mentes, spe allatæ. Scilicet inter se hæc  
depugnant, ut uno victore cogat necessitas alterum  
succumbere: itaque lætemur additi meliori. Enim-  
vero dicat fortasse quispiam in perfectione ponen-  
dum, quotidie te cibo defraudare. Fabulæ: sane  
enim quidem haud nos Dominus jussisset panem  
poscere quotidianum perpetem; non Elias quotidie  
in deserto epulum a corvo, non Paulus, qui ante  
divum Antonium solitudinem coluit, diurnum pa-  
nem divinitus accepisset, non magnusmet Antonius  
plus diurno ac septimano jejunio prætulisset quo-  
tidie paulo quam necessitas ferat comesse minus,  
opinor, hæc de causa. Nam quia corpus solidum  
diem fatigatum sensibus languet, cen cursor equus,  
atque instaurationem desiderat, necessario quoque  
naturæ instituit architectus ut diurno pabulo te-  
neretur, quo vividum deinceps foret, non cassum,  
et enerve; quod iis accidit qui duplas, ac quinque-  
cuplas trahant: quippe nequeat aut identidem con-  
genulari, aut in psalmodiis sonorum loqui, aliave  
expedite munia præstare, nisi quod insolens nimi-

rum facinus est. Quamobrem non jam porro diur-  
nus imperfectioni cibus ducitor, quin oppido in  
perfectis habetor ad modum normamque præscri-  
ptam. Atque o factum bene, quod res nostrates  
paternis constitutæ sunt scitæque regulis. Vobis  
quidem etiam etiamque sanitas tum corporis, tum  
animi firmitas tribuatur, qui immortalis veroque  
Deo serviatis, ac supremam diem maneatis, qua  
solis micetis instar cum sanctis, regni hæreditate  
aucti cœlestis per Christum Jesum Dominum no-  
strum: cui gloria et imperium cum Patre, ac  
sancto Spiritu, nunc, et semper, in omnemque per-  
petuitatem. Amen.

## SERMO LVI.

**B** *Dominica primæ hebdomadis. Ne supra vires in  
divinis studiis nitamur, ac spiritalibus animum  
spectaculis pascamus.*

Fratres Patresque, cum arduum omne est initium,  
tum jejunii ingres sus mutatione ciborum atque stu-  
diorum, difficultatem quamdam et asperitatem parat.  
Lenitur tamen ac tractatione assidua mollitur: quo  
hæc pertinet sententia, *Omnia disciplina in præsentibus  
quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea  
autem fructum pacatissimum exercitatis per eam red-  
det justitiæ* <sup>47</sup>. Quamobrem nos quoque una hebdo-  
mada jejunii transmissa, in posterum alacriores  
per experientiam reddamur, alacritatem scientes  
corpus juxta animumque firmare, levia compa-  
rantem quæ gravia sint, proclivia quæ ardua, uti  
C segnities contra gravia quæ levia sint, ardua quæ  
proclivia. Neque vero in studiis supra vires nitamur,  
quin cum spiritali quadam valetudine tueamur et  
corporis sanitatem: quid enim prodest accelerare  
in principio, ac mox ruere? ut circumspecte potius  
sit eundem, ad distantiam tuenti diversorii. Sed  
quoniam quæ contentionem habeat dies parere  
ignaviam solet, honestis occupationibus et spiri-  
talibus animum spectaculis pascamus, non his mun-  
danis, in quibus inest vanitas, ærumnæ, confusio,  
ac amaror, sed quæ cum dulcedine sunt lætitiaque  
permista. *Dei sum recordatus*, ait ille <sup>48</sup>, *ac gavisus*.  
Igitur in Deo mens defigitor, in cœlestibus visis,  
in paradisi pulchritudine, in æternis mansionibus,  
in angelorum tripudiis, in superna vita; ubi sint  
D pii noxiique manes, cujusmodi adventus prælu-  
stris Dei et Servatoris Jesu Christi futurus: sub  
quem ex oraculo divino *cœli magno impetu trans-  
ient, elementa vero calore solventur, terra autem  
et quæ in ipsa sunt opera, exurentur* <sup>49</sup>, tum autem  
ut animus conjux quisque corpus assumet, quam  
numerosa sit hominum corona, ab Adamo ad ævi  
decursum pertinens, quam terribilis Christi vultus,  
solis radius præfulgens, equam ejus vocem audie-  
mus ad extremum, quæ instaurationis futura tum ju-  
stis ad cœleste regnum ascitis, tum in perennes pœ-  
nas sontibus dimissis: hæc nos, fratres, par est  
curare, ac cogitare, in iisque versari, ceu qui

<sup>44</sup> I Cor. III, 16. <sup>45</sup> Psal. CX, 10. <sup>46</sup> Ephes. II, 21. <sup>47</sup> Hebr. XII, 11. <sup>48</sup> Psal. XLII, 5. <sup>49</sup> II Petr. III, 7-10.



extra mundum positi, cœlique cives. societate nulla teneamur eorum qui carnaliter vivant, unde extimulemur, lacrymemur, collustremur, atque hic vita obita quieta, in spem erigamur futuris perennibus bonis fruendi per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LVII.

*Secundæ Hebdomadis quarta. De animo a noxiis affectibus servando.*

Fratres Patresque, primæ hebdomadis jejuniis defuncti invicem alii quam fuerimus apparemus, graciles, ac decolores. Quanquam etsi exterior corrumpitur homo, ut Apostoli utar verbis, at interior renovatur de die in diem<sup>50</sup>: nam quasi corpus videmus præ deliciis pingue, et renidens per continentiam in animo consecrarium credere est. Ut afflicto corpore animo pulchritudinem pepere- rimus, eam nimirum, quam sanctus David desiderans, precabatur, *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*<sup>51</sup>: eaque ipsa et beatus Paulus confirmat Christo nos desponderi, *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo*<sup>52</sup>. Viden' beneficii amplitudinem, ut sponsum habeamus Christum? viden' pronubum, ut de incolumitate nostra sit sollicitus? Ergo abditæ in cubili instar juvenulæ est animus noster, quæ ut virorum abstinet obtutu, intra cubiculum se continens, omnemque adhibens industriam quo se incorruptam servet, dum tempus venerit nubendi, ad eundem modum animus quoque omni studio a noxiis peccati affectibus purum se in decessum tueatur oportet sub quem egressus corpore ceu cubili quodam, si quidem formosus est, egregiis actionibus splendens, sanctos oblectet angelos, neque injuria; sine flagitio deformis, volupe sit dæmonibus, in Christi probrum, quod tum dictu, tum cogitatu miserabile est.

Sane eam ob rem corporis repressio, et austeritas, quæ tanquam frenum carnis appetitiones retundat, ne aurigatorem excutiat mentem, non hac solum tempestate, quin per omnem vitam agitur: nam quid aliud monastica vita est quam vitiorum continentia, cogitationum magisterium, luctaque perpes cum hostibus invisis? Acerba ea sunt (factor) carni, sed quod in præsentia est momentaneum et leve tribulationis nostræ, uti scriptum est, *supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*<sup>53</sup>. Igitur ob inaspectabilia bona, quæ vel per transennam videre optant angeli, ob sponsum cui conciliati sumus, Christum, hortor et obtestor, fratres, animos puros conservemus a noxiis salutem

facinoribus, a sordidis cogitatis, quæ nos inquinant, auctore Domino, malum nec cogitantes, quandoquidem cogitando accenditur, velut ignis, desiderium, quin procul vitiis siti, ac primo incursu tentatorem propulsantes, animumque præclaris actionibus ornantes, et quæ in manibus est, continentiam alacrius obeuntes, quo puri hinc profecti, cum incredibili gaudio in cœlum commigremus, thalami lætitiæ cœlestis fruituri, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LVIII.

*Secundæ hebdomadis sexta. De concordia, et amore, ferendisque genere virtutis laboribus, regno acquirendo cœlesti.*

Fratres Patresque, equidem in vobis gaudeo, qui concordēs obeatis, ac pacem agitetis, tempus patienter jejunii perferatis, quod ad salutem vestram, nostramque spem pertinet sane; quantum est enim in contubernio pax, et concordia bonum, malis de medio sublatis, immodestia, inquietudine, responsatione, inobedientia, detractatione, superbia, ac si quæ alia flagitia sunt? Scilicet ii cum in primis commodum sibi quærent, tum aliis exemplum propositi virtutis, quæstum hinc quoque faciunt maximum: nam quemadmodum qui noxas comparent detestationis, sic qui exacuunt virtutem collaudationis sint hæredes. Neque equidem, fratres, de eximio statu: vitæque laudata decidamus, neu ab amore divino conquiescamus: siquidem scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua*<sup>54</sup>. Enimvero qui sic diligit, non exsaturatur, non labascit, non ignavia torpet, quin igni addit ignem, et alacritate, alacritatem provocat, positus in animo virtutum tanquam gradibus, atque e robore in spiritale robur grassatur, idque incessanter. Non carnales operarios videtis, ut in futilibus ac caducis laborent! non naupegos coram cernitis, ut totum desudent diem, nec tantillam sibi quietem tribuant? Quamobrem? quo paucillum auferant argenti et quæ usus postulat domesticus comportent. Nos diis opibus parandis, regno acquirendo cœlesti, bonis perennibus fruendis, pœnis fugiendis sempiternis, non cuncta patiamur cum omni alacritate, atque vigilantia, si vel sanguinem necesse est fundere, parati eum pro Domino impendere? Sane, obsecro, fratres, stemus animose spe gaudentes, ærumnas tolerantes, precibus instantes, manuficiis intenti, psalmodiis, versibus, lectionibus; qua occupatione teneamus animum, et ab inanibus studiis abstrahamus, siquidem desidia mater peccati est, labor animi custodia.

Non tamen ut ea propter de statu dejiciamur, quin præferentes morigerationem, modestiam, adjurationem proximi, cæteraque cuncta quæ ad animi

<sup>50</sup> II Cor. iv, 16. <sup>51</sup> Psal. xxix, 8. <sup>52</sup> II Cor. xi, 2, 3. <sup>53</sup> II Cor. iv, 17. <sup>54</sup> Deut. vi, 5.



salutem conferunt; denique comprecari, et pro dispersis huc illuc fratribus, nam de iis laboro equidem quoque, quin haud contuear coram, ut evaserit quisquam. Nec non et pro me supplicantes, cui tum sermo reserando tribuatur ore, tum innocens vita, quo utrimvis ego juxta, vosque servemur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LIX.

*Dominica Secundæ hebdomadis. De transeundo læte, atque expedite jejunio, æternæ spe vitæ.*

Fratres, Patresque, præstans jejunium est, insignibus suis præditum: ea sunt pax, mansuetudo, serenitas, humilitas, obedientia, mutuuum studium, et quæ alia genera sunt virtutis; at jejunantibus diabolus contraria satagit obtrudere, ac præfidentes, iracundos, stomachosos, turgidos præstare, quo emolumento damnum afferat majus. Nobis quidem faciendum non est ut impuri consilia nescire videamur, placideque, leniter, mansuete ac composite obeundum, benevole invicem ferendis, qui id Deo acceptum non ignoremus; etenim, nec si collum ut manubrium repandes, et saccum internas, cineremque, sine his ei perplaceas. Sane cum jejunio reprimitur, arescitque corpus, tum animus dilatatur, ac refloret: nam quantum is qui foris est noster homo corrumpitur, ait ille, tantum is qui intus est renovatur de die in diem<sup>55</sup>; rursumque: *Id quod in præsentis est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*<sup>56</sup>. Itaque præmium spectantes æquanimi virtutis labores patiamur: *Deo, et Patri gratias agentes, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ*<sup>57</sup>. Scilicet non ejus sine macula corpus, atque sanguinem in dies percipimus; quo quid suavius? quid delicatius? siquidem vescentibus cum pura conscientia perennis vita quæritur. Non quotidie cum Davide, aliisque sanctis Patribus consuescimus, tractandis monumentis; quæ hac animo major consolatio? Non humanitas affinium, mundique studium, abruptimus; quid hoc beatius quoque, ac sublimius? *Nostra conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humanitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem quæ etiam possit subjicere sibi omnia*<sup>58</sup>. Quamobrem gaudeamus, fratres, et ovemus, omni despicienda voluptate. *Omnis caro ut fenum, et omnis gloria hominis tanquam flos feni. Exortus est sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus de-*

<sup>55</sup> II Cor. iv, 16. <sup>56</sup> Ibid. 17. <sup>57</sup> Coloss. i, 12. <sup>58</sup> Philipp. iii, 20, 21. <sup>59</sup> Isa. xl, 6, 7. <sup>60</sup> Jac. v, 13. <sup>61</sup> Jac. i, 12. <sup>62-67</sup> Matth. xxiv, 27. <sup>68</sup> II Cor. v, 31. <sup>69</sup> Philipp. ii, 2, 3.

(13) Vat. sequor in quo est, ἀκούομεν, non ἀκούωμεν. Sensus, non verba citat ex Matth. xviv, 37.

*cidit, et decolor vultus ejus deperit*<sup>60</sup>. At virtutis manet in ævum functio. *Tristatur aliquis vestrum? (Dei germanus inquit) oret. Æquo animo est? psallat*<sup>60</sup>. Noxio ullo scelere tentatus, ut assidue tentator urget, sustineto audiens dicentem: *Beatus qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dominus diligentibus se. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis eam*<sup>61</sup>, ait Dominus: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LX.

*Tertiæ Hebdomadis quarta. De repentino hinc abscessu; et a sædis desideriis accurate prohibendis sensibus animoque.*

Fratres Patresque, haud debebamus, sancto præsentis Patre ac magistro, verba facere, sed tamen pro consuetudine paulum quiddam dicamus. Ergo ætas nostra, uti cernitis, quot diebus carpitur, ad mortemque propinquamus, atque hinc abscedere necesse est, et ad Fratres Patresque jungi, ut vigil opus sit attentio, ac mens instructa. Sane historiam legi (13) audivimus diluvii atque hanc Dominicam in Evangeliiis sententiam, *Quemadmodum in diebus Noe epulabantur, potabant, matrimonia contrahebant, emebant, vendebant, et repente irruit diluvium, sic erit et in adventu Filii hominis*<sup>62-67</sup>. Ac fors miramur ut tum agebant securi, nec trepidi, atque timidi, igitur videamus ne quod incessimus, eodem inscili teneamur ipsi. Enimvero haud jam paratur arca, quæ centum expleatur annis, quin referta in dies spectatur, in quam subeundum est, jam quotidie mors obitur, unoquoque abeunte fratrum, nostraque hæc illorum est atrocior fortuna, ut summa adhibenda cautio sit. Nec pol veto quin edamus, bibamus, vestimentis induamur (non id equidem sentio), sed seu edamus, seu bibamus, seu quid agamus, cuncta ut in Dei gloriam agamus<sup>68</sup>, neu quam Judæis, Græcisve, aut Dei Ecclesiæ offensionem præstemus, quod Apostolus jubet, sane cohortor, sane obsecro, fratres: *Implete gaudium meum, ut ejusdem utar verbis, quo idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes, nihil per contentionem nec per inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi invicem arbitrantes*<sup>69</sup>. In primisque sensus coercentor, visus, auditus, odoratus, tactus, gustatus, per quæ mors irrumpat; animus refrenator, ne ad nefaria feratur, neu sædis nequidquam inhærescat, neu simulacra singat vitiosa, neu scelerata desideria concipiat, unde emolumentum, ac voluptas minime capiatur, quin (14) dolor contra, et calamitas, ut usum præstemus nullum. Igitur una est in qua acquiescamus voluptas animus purus, ac vacuitas spectans

(14) In Vat. ὀδυρόμεθα, lego pro ὀφυνόμεθα, quod non assequor.



libidines. Quam ad voluptatem evocati, et quod e libidinum vacuitate gaudium nascatur, ne ignavia torpeamus, quin properemus, atque urgeamus serio defectum omnem studio instaurare, Deum habituri propitium: nam prope est se expectantibus Deus. Eaque obita vita, cœleste regnum consequemur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXI.

*Tertiæ hebdomadis præparatoria. Committendum non esse ut periculis nos objectemus, ac de jejuniis.*

Fratres Patresque, heri tempestas, hodie tranquillitas, heri tumultus, hodie quies. Sane habendæ Deo gratiæ, qui et depulit periculum, et vos constabilivit, qui infracti maneretis in expectatione minarum, hoc verorum Christianorum, hoc germanorum monachorum est, perpetuo instructos esse ad discrimen pro virtute, nihil divino antiquius præcepto quidquam ducere. Igitur aggressi ac locuti quæ locuti sunt hostes, recessere, non tam vobis consternatis, quam ipsi reveriti. Vobis quidem præmium Deus tribuat luculentum, qui ejus causa vexari animum induxistis; etenim, ut est misericordiæ largus, virtutem capescentem vel ob propositum muneratur. Quanquam nec depulsum est periculum, quin hæret etiam etiamque, maxime quod edicta passim a principibus eduntur ne quis hæreticæ consuetudinis sinatur exsors. Ergo audiamus Apostolum dicentem: *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*<sup>70</sup>, qua sententia docet nec temere nos periculis objectare, nec rursus Dei sermonem subtericere; nam *Quod si subtraxerit se, inquit, non placebit animæ meæ*<sup>71</sup>. Atque hæc hactenus, nunc proventum jejunium est, ac magis magisque nos instigat niti alacriter in posterum, ut cuique videatur, non tristes, aut coactos. Hilarem enim jejunatorem amat Deus. Etsi cœnobiaca regula aut permittit ex sua quemque libidine regi, normaque hæc est continentiæ subditis communis, propriæ coercitio voluntatis. Igitur eximium est jejunium, quod vitia domet, subigatque spiritui carnem; eximiæ lacrymæ, quæ animum abluant, et extergeant a flagitiis, purumque comparent Deo, eximia comprecatio, quæ mentem aligeram præstet, ac contubernalem Deo reddat eximius amor, qui sua passim ad proximi frugem negligat; eximia alacritas, quæ labores leniat, quasi que juvena animum imbuat, senem molita juvenem. Quamobrem læti, alacresque simus, tempus est psalmodiæ; prodeamus studiose, opificii; operemur sedulo, silentii; sileamus honeste, alloquii? alloquamur circumspecte,

atque ut semel dicam, honeste omnia, decenterque geramus, quemadmodum jubemur, citra tumultum, ac verborum insolentiam siti. Jam congniculationi modus adhibetor, et solemnibus versificationibus pro cuiusque viribus obitor, corporis simul sanitate tuenda. Ac pacis Deus ad dierum principem, Christi resurrectionem, perductos regno augeat cœlesti, ubi non est *esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium*, uti scriptum est, *in Spiritu sancto*<sup>72</sup>, quo large iuvamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXII.

*In sanctos XL Martyres, de Dominicis imitandis suppliciis.*

Fratres Patresque, quam honesta accidit nobis ab hoc monasterio secessio; nam cur libertas nostra ex aliena censeatur conscientia? cur præterquam quod frugem nullam facimus? serio nos insuper multemus; Igitur quantum licuit, ac permisit tempus, indulsumus; nunc cum tempore vocante oppugnationem pro Christo detrectarint, quemadmodum et alii nonnulli, audienda hæc vaticina sententia est: *Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus*<sup>73</sup>. Sin alii aliter in iis faciunt, rationem Deo reddent in die iudicii, mihi quidem per flagitium videtur his concedas, an hæreticos tolere. Cæterum videtis ut discidium hoc a mundo compulit abstractos ad miserias, ærumnas, famem, vexationem, carcerem, necem. Quanquam superare in his omnibus pro studio debemus, quo nos prosequatur Deus, qui animum se conspicatus sitientem, consolidat, quo ferre pro se supplicia queat. Testimonio sunt cum alii, tum sancti XL Martyres, quorum impræsentiarum egimus memoriam: nam equidem nefas dicere est natura quam nos alia præditos fuisse, sed amore Deum ex animo complexi, e calamitate robur contraxere, qui invisum corporati hostem vincerent, ac tale tantumque prælium conficerent, quod Christiani omnes celebrant. Enimvero felicem qui vel tantillum Christi suppliciis communicet, ad necem petatur, æque ac petitus ille est; comprehendatur ut ille, contumeliis laceretur ut ille, vapulet ut ille, in carcerem compingatur, ut ille. Jam videsis et cur exaratum, *Si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus: si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus: ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*<sup>74</sup>, huic promissa! quæ, et cujusmodi minæ! De cætero demus operam, fratres, certemus, quæ jam Christi obita beneficio sunt, minime pudefacere, exsilia, compedes, flagra. Et si haud compediti omnes sumus, haud multari omnes flagris, sed nimirum vitæ hoc societas miseriarum quædam est societas: nam seu unum dolet membrum, cuncta

<sup>70</sup> Coloss. iv, 5, 6. <sup>71</sup> Hebr. x, 38. <sup>72</sup> Rom. xiv, 17. <sup>73</sup> Isa. li, 11; II Cor. vi, 17. <sup>74</sup> II Tim ii, 11, 12.



condolent; seu cohonestatur unum, cuncta gratulantur. Quin simus amplius unum corpus, unaque mens, ut in unam spem acciti, et vocati, Christum caput habentes, quo, accepti Deo, cœleste regnum ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LXIII.

*Historicus de Christianis per Bulgariam in sancta Quadragesima ob esum carniū peremptis.*

Fratres Patresque, libet hac Catechesi narratione quadam vos ad lætitiā cohortari, ea est hujusmodi. In Bulgaria, ut explore conscii retulere, sceleratum a principe exiit edictum, fratres manu captos Christianos carniū per Quadragesimam vesci. dictoque vitam obsequentes habere, inobsequentes perimi. Qua confirmata impii promulgatione, cœtus agitare, et fletum frequentes, ac lamenta cum uxoribus, liberisque ducere, hinc legis studio Christianæ, illinc corporalis terrore mortis, denique (heu nuntium miserandum) victi, infami jusso succumbere. Ergo his avulsi quatuor, et decem, ex adverso stantes, hortari ne cederent, neu obsecundarent, citraque legem Christianam carnes comessent. Quibus in verbis occurrere vulgus, et obtestari, cederent necessitati, neu temere se irent perditum, rursusque per pœnitentiā resipiscerent, at non illi credere, ac remollescere, Deum spectantes, et beatitudinem promissam. Hoc eorum Seytha perspecto implacabili obnixu, consilium capere per unum cæteros expugnandi, interfectique liberos atque conjugem Seythis mancipio tribuere, ut emolliti hinc cæteri traherentur: qui inflexi manere magis, Christianos se exclamantes, mortuique partiaris fratris, igitur in ea professione excarnificati et ipsi, in Domino decessere. Videtin' ut nunc regni Evangelium divini obeatur quoque? *Qui amat patrem aut matrem, inquit, plus quam me, non est me dignus: et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus*<sup>75</sup>; ac rursus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timeate eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*<sup>76</sup>. Ergo hi præstandis Evangelicis præceptis morem Deo gerentes, martyrii se corona obligarunt, sanctos imitati Machabæos, duplo

## SERMO LXIV.

*In Annuntiationem prior. De corporata Domini nostri Jesu Christi œconomia agitandisque spiritalibus feriis habitus Annuntiationis die.*

Fratres Patresque, adest Annuntiatio, agiturque Dominicarum princeps feriarum: ut non hoc solum feriari sit necesse, quod vulgus hominum

A numero: siquidem ii septem, hi quatuordecim. iique ne suillam gustarent contra legem, hi ne carnem ullam caperent præter normam Christianam; quod absolutius quodammodo videtur: quippe erat iis omnino interdicta suilla: his licebat in necessitate uti; quamvis, neque damnari, ut ait divinus Basilius, sed quia profectum erat ab Seythis edictum, ad religionis præjudicium spectans, animum non induxerunt: quin pro Christi amore cuncta in secundis habuerunt. O beatissimos viros! o felicissimum mercatum! uno temporis momento quietem pacisci sempiternam. Age vero quid ad hæc respondebunt qui hæreticam consuetudinem præjudicium negent? nam si Christianitatis præjudicium ejus carniū est, quanto magis consuetudo nefariis operata sacris? Ubi sunt autem qui positum in imagine Christi martyrium diffitentur? etenim si martyres sunt qui esum refugere carniū, quanto hoc illustrius martyrium est, qui eum minime abnegemus? Sed tenebris obsiti nimirum, tenebrosa loquuntur, vitiisque suis alios quoque impedire satagunt: nos quidem, fratres, clementem cohonestemus herum, qui se cohonestantes cohonestet, nostraque etiam memoria martyres ostendat, atque id serio cum animo reputemus.

Quod si aspectu viles homunculi, parum docti, uxorii, aucti liberis, cuncta præ Christi studio projecere, quanto nos debemus magis, injuges, mundo extorres, ubi tempus vocet, æmulatione duci sanctorum? Sed id quidem uno præstituto die, ac simul Christus vocabit: nunc perstemus in martyrio quod in animo situm, et perenne est. Ne Baali accidamus, fratres, neu impetiti cogitatis, pareamus, quin ignea maligni tela exstinguamus lacrymis, precibus, animi quibusdam stimulis, cæteris afflictationibus corporis, dicturi et nos cum Apostolo: *Quotidie morior per vestram gloriationem, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro*<sup>77</sup>; ac cum Davide: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*<sup>78</sup>; cum quibus cœlestis regni hæreditatem adeamus per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## ΛΟΓΟΣ ΕΔ'.

*Εἰς τὴν Εὐαγγελισμόν τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας ἃ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὅτι δεῖ πνευματικῶς ἐορτάζειν ἢ ῥηθεῖσα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Εὐαγγελισμοῦ.*

Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες· ὁ Εὐαγγελισμὸς πάρεστι, καὶ τῶν Δεσποτικῶν ἐορτῶν ἐστὶν ἡ πρώτη· καὶ ὀφείλομεν ἐορτάζειν, οὐχ ἀπλῶς, κατὰ τοὺς πολλοὺς, ἀλλὰ

<sup>75</sup> Matth. x, 38. <sup>76</sup> ibid. 28. <sup>77</sup> I Cor. xv, 31. <sup>78</sup> Psal. xliii, 22.

## VARIÆ LECTIONES.

<sup>a</sup> Cod. οἰκονομίας. <sup>b</sup> Cod. ἐορτάζειν, et sic infra.



μετὰ κατανοήσεως καὶ σεβάσματος τοῦ μυστηρίου. Τί δὲ τὸ μυστήριον; Ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ υἱὸς ἀνθρώπου γίνεται, μεσίτη ἀγία Παρθένω χρησάμενος, ἐν αὐτῇ τε οἰκήσας, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐαυτῷ ἑ ναὸν ἠ ἀναπλάσας, καὶ τέλειος γενόμενος ἄνθρωπος. Διὰ τί; Ἴνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ ἑ, καθὼς γέγραπται. Ἴνα τὴν υἰωθεσίαν ἰ ἀπολάβωμεν ἑ ἵνα μηκέτι ὦμεν δοῦλοι, ἀλλ' ἐλεύθεροι· μηκέτι ἐμπαθεῖς, ἀλλὰ ἀπαθεῖς· μηκέτι φιλόκοσμοι, ἀλλὰ φιλόθεοι· μηκέτι κατὰ σάρκα περιπατοῦντες, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα περιπατοῦντες ἑ τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος· τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη. Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἐχθρὸν ἠ εἰς Θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ἰ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται. Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύναται.

Αὕτη ἐστὶ, ὡς ἐν συντόμῳ εἰπεῖν, τοῦ μυστηρίου ἡ δύναμις· καὶ διὰ ταῦτα ὀφείλομεν ἰ πνευματικῶς ἐορτάζειν, καὶ πνευματικῶς ἀναστρέφεσθαι, ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πραότητι, ἐν εἰρήνῃ, ἐν μακροθυμίᾳ, ἐν χρηστότητι, ἐν Πνεύματι ἀγίῳ, ὡς ἂν μὴ κενὴν καὶ ἀπρακτον τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἰκονομίαν ἑ τὸ καθ' ἑαυτοῦς δεικνύωμεν.

Οὐ μὴν ἀλλὰ ὀφείλομεν καὶ προσεύχεσθαι καὶ λυπεῖσθαι ὑπὲρ τοῦ κόσμου. Διὰ τί; Ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἦλθεν, ἵνα σώσῃ ἰ τὸν κόσμον, καὶ ὁ κόσμος ἀθετεῖ αὐτόν. Ἀθετοῦσιν αὐτὸν φυλαὶ καὶ γλῶσσαι· ἀθετοῦσιν αὐτὸν τὰ βάρβαρα ἔθνη· ἀθετοῦσιν αὐτὸν οἱ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπικεκλημένοι τὸ ἅγιον· οἱ μὲν διὰ πίστεως ἐν διαστροφῷ, οἱ δὲ διὰ πονηροῦ βίου. Τί δ' ἔδει ποιῆσαι, καὶ οὐκ ἐποίησεν; Θεὸς ὢν, ἄνθρωπος γέγονεν ἠ· ἐταπεινώσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι ἠ θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· ἔδωκεν ἡμῖν ἐσθίειν τὸ σῶμα αὐτοῦ, καὶ πίνειν τὸ αἷμα ἠ αὐτοῦ· ἠξίωσεν ἡμῶν καλεῖσθαι πατήρ, ἀδελφός, κεφαλὴ, διδάσκαλος, νυμφίος ἠ, συγκληρονόμος, τὰ ἄλλα πάντα ἠ οὐκ ἔστιν εὐκαιρον λέγειν. Καὶ ὅμως ἀθετεῖται, καὶ ὅμως φέρει· Οὐ γὰρ ἦλθον, φησὶν, ἵνα κρινῶ τὸν κόσμον, ἀλλὰ ἵνα σώσω τὸν κόσμον.

Τί οὖν ἔστιν ἐν τούτοις εἰπεῖν, ἀδελφοί; Ὅτι οἱ ἀληθῆς μαθηταὶ ἐν ταῖς ἀθετήσεσιν τῶν συμμαθητῶν λυποῦνται, δεικνύοντες τὸ τε πρὸς τὸν διδάσκαλον, καὶ τὸ πρὸς τοὺς μαθητὰς ἀγαπητικόν· ὡσαύτως καὶ οἱ γνήσιοι δοῦλοι ἐν ταῖς ἀποστασίαις τῶν ὁμοδόλων τὸ αὐτὴ πάσχουσιν.

Διὰ τοῦτο προστάσσει ὁ μέγας Ἀπόστολος ποιῆσθαι ἡμᾶς δεήσεις, προσευχάς, ἐντεῦξεις, εὐχαριστίας ἠ ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, ὑπὲρ βασιλέων, καὶ πάντων τῶν ὑπεροχῆ ὄντων. Αὐτὸς

A facit, quin cum intelligentia, venerationeque mysterii. Ecquod est autem mysterium Deo natum hominatenatum fieri, tanquam sequestra usum sancta Virgine, et in ea stabulatum, ædemque inde quamdam sibi molitum, hominemque factum perfectum. Quamobrem? ut eos qui sub lege erant redimeret, quemadmodum scriptum est, et adoptione donaremur, non jam servi porro, sed ingenui futuri non affectibus concitati, quin liberi, ac soluti; non mundi, sed Dei amantes, non carnaliter obeuntes, sed spiriualiter. Qui enim secundum carnem obeunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt: nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, et pax: quoniam sapientia carnis inimicitia est in Deum: B legi enim Dei non subjicitur; nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt<sup>79</sup>.

Hæc est breviter vis mysterii: eaque de causa feriandum est nobis, et obeundum spiritaliter, pietate, probitate, amore, mansuetudine, pace, lenitate, benevolentia, animi sanctimonia præditis, ne segnem, ac inanem Domini nostri Jesu Christi procurationem, quantum inest in nobis, præstemus.

Nec non et pro mundo comprecari tristarique debemus: Quid ita? quod venit ad mundi incolumitatem Dei Filius, mundusque eum serio repudiat, tribus, linguæ, barbaræ, nationes, et qui augusto ejus nomine vocentur, partim fide corrupta, partim flagitiosa vita. Quid factum oportuit, neque fecit? homo effectus, qui Deus esset, se dejecit, ad necem morigeratus, ac post Crucis<sup>80</sup>; corpus vescendum præbuit, bibendumque cruorem; nec dedignatus est nominari pater germanus, caput, magister, sponsus, cøheres, aliaque cuncta, quæ referre sit alienum; et repudiari patitur tamen, nam Non venit, inquit, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum<sup>81</sup>.

ἵνα κρινῶ τὸν κόσμον, ἀλλὰ ἵνα σώσω τὸν κόσμον.

D Ecquid ergo in his, fratres, dicendum est? genuinos discipulos in condiscipulorum dolere repudiis, tum præceptoris, tum condiscipulorum ostendentes amorem: idemque genuini servi in conservorum perfidiis sentiunt.

Itaque jubet magnus Apostolus obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones obire pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt<sup>82</sup>, de se id alibi testatus in hæc

<sup>79</sup> Rom. viii, 5-7. <sup>80</sup> Philipp. ii, 8: <sup>81</sup> Joan, xii, 47. <sup>82</sup> I Tim. ii, 1, 2.

#### VARLÆ LECTIONES.

<sup>ε</sup> Cod. ἐαυτῷ. <sup>δ</sup> Cod. ναὸν. <sup>ε</sup> Cod. ἐξαγοράσει. <sup>ι</sup> υἰωθεσίαν. <sup>ς</sup> Rom. viii, 5, ὄντες. <sup>η</sup> Rom. viii, 7, ἐχθρα. <sup>ι</sup> Cod. οὐχ. <sup>κ</sup> Cod. ὑφείλωμεν. <sup>λ</sup> Cod. οἰκονομίαν. <sup>μ</sup> Cod. σώσει. <sup>ν</sup> Cod. γέγωνεν. <sup>ξ</sup> Cod. μέχρι. <sup>ο</sup> Cod. αἷμα. <sup>π</sup> Cod. νύμφιος. <sup>ρ</sup> Cod. εὐχαριστίας. <sup>ς</sup> Cod. abest prop. ἐν, quæ legitur I Tim. ii, 2.



verba : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*<sup>83</sup>. Viden' amoris vim? viden' culmen amicitiae? Neque aliud Moses apparet Deo loquens, *Si remittis, remitte sane hanc eis noxam; sin minus dele me quoque e tuo libro, quem scripsisti*<sup>84</sup>.

Igitur nos quoque, ceu genuinos discipulos, non adulterinos haud nostra solum spectare par est, quin et pro fratribus, totoque mundo angi, ac comprecari : ita enim accepta Deo facientes, perennis vitae hæreditatem cernemus per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXV.

*In Annuntiationem secunda. De Virginitate.*

Fratres Patresque, posteaquam adest Annuntiatione, pauca quædam ex ea vobis disserere conabor, hinc ostendens virginitatis summum esse votum, quod amplecti meruimus. Nam cui Gabriel dixit angelus. *Ave, gratia plena; Dominus tecum*<sup>85</sup>? non sanctæ Virgini Mariæ? Ex qua corpore contracto Deus, et Verbum homine se devinxit? Non ex beata Virgine?

Scilicet virginitas est quæ cunctorum edidit vitam regina virtutum, sponsa, atque pronuba Christi. Ac, si placet, Paulum dicentem audiamus, *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Divisæque sunt mulier, et virgo : innupta cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore, et spiritu : quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*<sup>86</sup>. Viden' orationis vim, quemadmodum haud otium ducant nuptiæ Dominica curare, sed mundana? ut virginitati potior tributa pars sit.

Quin primas in cœlesti quoque regno obtinet virginitas : siquidem in beati Joannis Apocalypsi legitur in hæc verba : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt* (15); *hi sunt qui sequuntur Agnum, quocumque ierit*<sup>87</sup>. Papæ, qua

<sup>83</sup> Rom. ix, 1, 3. <sup>84</sup> Exod. xxxii, 31. <sup>85</sup> Luc. i, 28. <sup>86</sup> I Cor. vii, 32, 34. <sup>87</sup> Apoc. xiv, 4.

#### VARIÆ LECTIONES.

\* Addi hic codex pluribus illis potest, qui hoc loco legunt εὐχόμεν pro ηὐχόμεν. † Abest μου, quod penes Paulum legimus. <sup>u</sup> Cod. ἐξάλειψον. <sup>v</sup> Cod. βράχεια et πειράσωμαι. Post πάρεστι deest περί. <sup>x</sup> Cod. κχαριτωμένη <sup>y</sup> Cod. ἔστιν et sic porro. <sup>z</sup> Cod. βασίλισσα. <sup>a</sup> Cod. μεριμνητρία. <sup>b</sup> Cod. βούλεσθαι. <sup>c</sup> Norunt eruditi, multiplicem esse tum apud Græcos tum apud Latinos et legendi et interpungendi hujus loci rationem. Retinendam porro hic eam censui, quam in codice reperi. <sup>d</sup> Cod. παρθεναία. <sup>e</sup> Cod. hic et infra, οὗτοι εἰσιν. <sup>f</sup> Cod. Barber. omittit voces, οὗτοι εἰσιν.

#### NOTÆ.

(15) Deerant in nostro, quæ ex Vat addidi.

Α τοῦτο περὶ αὐτοῦ ἀλλαγῶ λέγων. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῶ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυροῦσης τῆς συνειδήσεώς μου ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, διτι λύπη μου ἐστὶ μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου· εὐχόμεν\* γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου τῶν συγγενῶν † κατὰ σάρκα. Εἶδες ἀγάπης δύναμιν; Εἶδες ὕψος φιλίας; Τοῦτο καὶ ὁ Μώσης φαίνεται πρὸς τὸν Θεὸν λέγων· Εἰ μὲν ἀφείς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν, θφες· εἰ δὲ μὴ, κἀμὲ ἐξάλειψον <sup>u</sup> ἐκ τῆς βίβλου, ἧς ἔγραψας.

Οὕτως οὖν καὶ ἡμεῖς, ὡς γνήσιοι μαθηταί, οὐ νόθοι, οὐ μόνον ὀφείλομεν τὸ καθ' ἑαυτὸν σκοπεῖν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου, καὶ λυπεῖσθαι, καὶ προσεύχεσθαι. Οὕτω γὰρ τὰ ἀρεστὰ Κυρίῳ ποιῶντες κληρονόμοι γενησόμεθα ζωῆς αἰωνίου, ἐν Χριστῶ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

#### ΛΟΓΟΣ ΕΞ'.

*Εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν λόγος θ'. Περὶ παρθενίας.*

Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες', ἐπειδὴ ὁ Εὐαγγελισμὸς πάρεστι, τοῦ Εὐαγγελισμοῦ ὑμῖν βραχεία τινὰ πειράσωμαι <sup>v</sup> διαλεχθῆναι, δεικνὺς ἐντεῦθεν, ὡς μέγιστόν ἐστι τὸ τῆς παρθενίας ἐπάγγελμα, ὅπερ ἀσπάσασθαι κατηξιώθημεν. Τίτι γὰρ ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ εἶρηκε· Χαῖρε, κχαριτωμένη <sup>x</sup>, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ; Οὐχὶ τῇ ἁγίᾳ Παρθένῳ Μαρίᾳ; Καὶ ἐκ τίνος σαρκωθείς <sup>c</sup> ἐνηθρώπησεν αὐτὸς ὁ Θεὸς καὶ λόγος; Οὐκ ἐξ αὐτῆς τῆς μακαρίας Παρθένου;

Παρθενία τοιγαροῦν ἐστὶν ἡ βλαστήσασα τὴν ζωὴν τῶν ἀπάντων. Παρθενία ἐστὶν <sup>y</sup> ἡ βασίλισσα <sup>z</sup> τῶν ἀρετῶν. Παρθενία ἐστὶν ἡ νύμφη καὶ νυμφεύτρια <sup>a</sup> Χριστοῦ· καὶ, εἰ βούλεσθε <sup>b</sup>, ἀκουσώμεθα τοῦ μακαρίου Παύλου λέγοντος· Ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, πῶς ἀρέσει τῷ Κυρίῳ· ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. Μεμέρισται καὶ ἡ γυνή <sup>c</sup> καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ἡ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι· ἡ δὲ γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρὶ. Ὁρᾶτε τοῦ λόγου τὴν δύναμιν· πῶς οὐκ ἄγει σχολὴν ὁ γάμος μεριμνᾶν τὰ τοῦ Κυρίου, ἀλλὰ τὰ τοῦ κόσμου; Τῇ <sup>d</sup> παρθενίᾳ οὖν ἡ ἀγαθὴ μερὶς ἀποκεκλήρωται.

Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν παρθενία <sup>d</sup> τὰ πρωτεῖα φέρεται· καὶ γοῦν γέγραπται ἐν τῇ Ἀποκαλύψει τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τάδε· Οὗτοι εἰσιν <sup>e</sup> οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν· παρθένοι γὰρ εἰσι· οὗτοι εἰσιν <sup>f</sup> οἱ ἀκολουθοῦντες



τῷ ἀρνίῳ ὅπου ὑπάγει. Βαβαὶ τῆς παρεδρίας, ἧς ἠξιώθησαν οἱ τὴν παρθενίαν ἐλόμενοι ὧ, οἱ συνεπόμενοι Χριστῷ καὶ συνευφραίνόμενοι.

Ἄλλὰ σκοπήσωμεν, ἀδελφοί, ὅτι καθόσον μέγα, καὶ ὑπερφυῆς τὸ κατόρθωμα, κατὰ τοσοῦτον καὶ ὁ λυμεὼν ἢ τῆς ζωῆς ἡμῶν διάβολος ὑπὲρ πάντα τὰ πάθη ἐν τούτῳ πειράται ἡμᾶς καταβαλεῖν. Καὶ ὅσους μὲν κατέβαλεν ἐξ αἰῶνος, τίς ἂν καὶ ἐξαριθμήσειεν; Ὡς δὲ ἐγὼ ἤκουσα παρὰ τοῦ εὖ εἰδότος, ὅτι καὶ νῦν ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἄνδρα πολλοῖς ἔτεσιν ἐξησκηκότα καὶ θαυμαστὸν τῷ βίῳ τοσοῦτον ἴσχυσεν ὑποσκελίσαι ὁ δράκων, ὡς μὴ μόνον ἕξαρνον αὐτὸν γενέσθαι τοῦ ἀγίου σχήματος, ἀλλὰ καὶ γυναῖκα περιάγειν μοιχικῶς. Οὐ τί ἂν γένοιτο ἐλεεινότερον; Καὶ τοιαῦτα μὲν τὰ παρὰ τοῦ διαβόλου τεχνάσματά τε καὶ ἀποτελέσματα.

Ἡμεῖς δὲ, παρακαλῶ, ἀδελφοί, φυλάξωμεν αὐτούς, ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, αἰδούμενοι τὸν νομφίον ἡμῶν Χριστόν· μὴ προδιδόντες τὸν ἐμπιστευθέντα θησαυρὸν τῆς παρθενίας· μηδὲ ταύτην πάθοιμεν τοῖς ἰχθύσιν, οἱ δελεάσματι σαρκὸς τὸ ἀγκιστρον καταπίνοντες, τὸν θάνατον εὐρίσκουσιν· ἀγκιστρον γάρ ἐστιν ἡ ἡδονὴ φθειρούσα, οὐχ ἡδύνουσα, θανατοῦσα, οὐ ζωογονοῦσα· ἧς ῥυσθῆμεν ἰδυνάμει Θεοῦ δυναμούμενοι, καὶ πρὸς τὸ ἐξῆς ὠφθειῆμεν εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι, ἕως ἂν ἐμπνέωμεν, ἵνα νικητικῶς τῶν ἐνθῆνδε μεταχωροῦντες τύχωμεν βασιλείας οὐρανῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, κ. τ. λ.

#### SERMO LXVI.

*Mediæ hebdomadis quarta. Pascha hoc simulacrum esse futuri et æterni, deque patientia ac fortitudine.*

Fratres Patresque, jam præterequitur Quadragesima, animusque Pascha impendente lætatur, ceu conquieturus in eo, et tanquam rude donandus multorum laborum. Quorsum hic institutus mihi sermo est? quod vita omnis nostra quasi quædam Quadragesima est, æternum intuens Pascha. Nostrum hoc quidem, etsi venerandum et ingens simulacrum tamen est illius; uti prædicant (16), Patres, siquidem hoc diecula est ac præterit, illud incomitatum æternumque est.

Unde tristitia, dolor, lamenta profugere; ubi gaudium, lætitia, triumphus sempiternus; ubi murmur feriantum, cœtusque agitantum corona, et jugis spectaculum lucis; ubi felix Christianum prandium, pereunibus bonis referta mensa, potus novitius, de quo ait Christus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, dum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei* <sup>88</sup>. De quo regno in cœlos abiturus di-

prærogativa sunt affecti qui virginitatem complectantur, ut Christum triumphandi comitentur?

Quanquam reputemus, fratres, quam ingens et incomparabilis functio est, tam nos, vitæ pestem, diabolum præ cæteris sceleribus hoc prosternere moliri. At quot in omni memoria prostraverit quis enumeret? certe in Asia nunc quoque, ut de quodam intellexi probe conscio, quemdam compluribus anni exercitum, vitæque memorabili, tam profligate dejecit, ut non sacrum modo negarit habitum, quin mulierem adulterio circumductet: quo quid miserabilius? Atque hæc diaboli sunt artes et facinora.

B

Nos quidem, fratres, cohortor, ceu oculi se quisque pupillam tueamur, sponsum reveriti Christum, neu creditum virginitatis thesaurum prodamus, idemque patiamur quod pisces, qui caruncula inescatione hamum glutientes, se induunt in mortem; namque hamus est voluptas perdita, non jucunda: lethifera, non vitalis. Qua divinis viribus firmati liberemur, et in futurum sinceri, ac insontes videamur, dum spiritum ducamus, ut ovabundi hinc profecti, cœleste regnum ineamus, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

C

scipulos alloquitur in hæc verba: *Vado parare vobis locum, et si abiero paratum vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis* <sup>89</sup>. Ac rursum: *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis. Et alibi: Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi* <sup>90</sup>. Quæ non ad apostolos solum, quin ad nos pertinere quoque hæc ejus est sententia: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* <sup>91</sup>. Quid his consolabilibus verbis? quid reverentius? quam non emolliant mentem? quem animum non pungant? Vel lapidem fors naturam, dicat quispiam, nedum cor humanum. Atque hæc cogitantes tulere quæ tulere sancti, ærumnas pro gaudio ducentes, res arctas pro amplis, certamina pro deliciis, exercitationes pro quiete, necem pro vita: igitur nos quoque, qui idem urgemus stu-

D

<sup>88</sup> Matth. xxvi, 29. <sup>89</sup> Joan. xiv, 3, 4. <sup>90</sup> Joan. xvii, 23, 24. <sup>91</sup> ibid.

#### VARIÆ LECTIONES.

<sup>8</sup> Cod. ἐλώμενοι. <sup>h</sup> Cod. ὀλυμαίων: Barberin. omittit artic. ὁ. <sup>i</sup> Cod. ῥυσθῆμεν.

#### NOTÆ.

(16) Nazianzenum lege Orat. εἰς τὸ ἅγιον Πάχα.



dium, pariterque quærimus Pascha, præsentia, co-  
hortor, animose, ac fortiter feramus, non labantes,  
non ignavia torpidi, quin fervidius exciti; obser-  
vantes et improbum serpentem qui varietatem in  
nos exerceat vitiorum, in angelum se lucidum  
distingat, res insolenter convertat, tenebras lucem,  
amarum dulce ostendet. Sic decessorem inescavit  
Adamum oculis præstrictis, ac formosum molitus  
quod formosum non esset atque hinc per esum  
pomario proscripsit. Nos quidem certe usus quis sit  
edocti, scilicet impostor, haud prodeamus Dei præ-  
ceptorum pomario neu præbendo fructu formoso,  
aciem eo mentis, aut corporis dimittamus, postea-  
quam inescamur, sed obtutum omni ope fugiamus.  
Ecquis est autem fructus qui formosus appareat?  
studium carnis, pravum noxii cujusque vitii desi-  
derium. Quorum detrectando periculo, incolumes  
evademus, et Pascha in ævum cum sanctis obeamus,  
per Christum Jesum Dominum nostrum, cui  
gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu,  
nunc et semper, in omnemque perpetuitatem.  
Amen.

#### SERMO LXVII.

*Mediæ hebdomadis sexta. Vitiis obire, ac virtutibus  
reviviscere, id demum esse feriari quotidie Domi-  
nique Deo Pascha agitare.*

Fratres Patresque, dies imminet Paschæ postea-  
quam Deo duce medium jejunium præterimus. Sed  
quid autem properamus Pascha occupare, quod  
adeat, abeatque? non id annorum permultis egimus  
curriculis? Igitur præsens transibit quoque; nihil  
est enim in hoc sæculo constans, quin dies umbræ  
labuntur instar, vitæque nostra ceu pernix eques  
decurrit, dum urgeamur ad metam. Quid? annon,  
ait, amabile Pascha est? sane, fateor amabile vel  
in primis, sed quod in dies obeatur. Quodnam?  
expurgatio scelerum, contritio cordis, lacrymæ ab  
compunctione profectæ, puritas conscientiæ, ter-  
restriam carnificina membrorum, adulterii, impu-  
ditiæ, libidinis, noxii desiderii, ac quæ aliæ sunt  
fanaticæ noxæ. Quæ qui paraverit, non in annum  
semel, sed, ut sic dicam, quotidie Domino peropta-  
bile celebrat Pascha; at qui non habeat quæ dixi,  
vitiisque regatur, ne is feriandi sit impos: nam qui  
ferietur, cui Numen ingluviens, qui carnis flagret  
libidinibus, qui invidia tabescat, qui immersus  
avaritiæ, qui ambitione possessus, qui aliis invo-  
luti sint facinoribus? nisi quis dicat sane et febricitantem  
valere, et naufragum vehi prospere. At non id ratio  
fasque patitur, nequit enim qui in tenebris versetur  
collustrari, nec qui sceleribus hacchetur feriari.  
De vobis quidem spondemus meliora conjunctaque  
saluti. Scilicet non aliud vita nostra est quam festi  
apparatus: nam videsis quæ obeantur, psalmodiam  
excipit psalmodia, lectionem lectio, meditationem  
meditatio, comprecationem comprecatio, quasi quidam  
agens nos, Deoque con-

A serens orbis. Quam hæc vere splendida, et eximia  
vita est! quam beata, ac præfelicis! Igitur demon-  
strato quod quærimus Pascha, serio id urgeamus,  
fratres venerandi, et obeamus assidue pro virili,  
vitiis extincti, ac virtutibus redivivi, instar Do-  
mini; siquidem luit pro nobis supplicium, exemplar  
quoddam relinquens, quo vestigia sequeremur sua.  
Neque hæc dissero ut aliorum iudices fiamus (nam  
suum quisque onus geret), quin perspecto, quod di-  
vinitus habeamus, beneficio, grates agamus præbi-  
tori, honoremus beneficium, vicem hero reddamus,  
qui non solum præsentia tribuerit, sed sincere se  
ad extremum colentibus bona insuper sit promissa  
daturus, æternum illud, et cœleste Pascha: quod  
adipisci omnes contingat Domini nostri Jesu Chri-  
sti liberalitate atque beneficio: cui gloria: et impe-  
rium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper,  
in omnemque perpetuitatem, Amen.

#### SERMO LXVIII.

*In Ver. Oportere nos renovari in antiquum per in-  
currentium aspectabilium, et inaspectabilium ten-  
tationum tolerantiam.*

Fratres Patresque, hieme profligata, et appetente  
vere, omne hoc universum refflorere videmus, hoc  
est, stirpes floridas, terram virescentem, aves mur-  
murantes; cætera novitia cuncta, in iisque gaude-  
mus, ac Max. Opt. molitorem Deum laudamus:  
qui hanc rerum naturam in annum reparat et con-  
vertat, neque injuria. *Invisibilia enim ipsius a crea-  
tura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspi-  
ciuntur, sempiterna ejus virtus et divinitas*<sup>92</sup>. Quan-  
quam haud hic consistendum est nobis, quin ulte-  
rius eundem, intraque nos summæ rerum contem-  
planda ratio. Quinam? renovationem hanc habere  
hiemem causam: neque enim ad venustatem teten-  
derit, ni ante nives, imbres, ventos subierit. Ad  
eundem modum animus quoque ni ærumnarum  
prius, miseriarum, discriminum quasi quadam con-  
spersus nive sit, nequaquam se induit in florem,  
aut fructificat: passusque, et fructificat, et felicitate  
fruitur divina, quemadmodum scriptum est: *Terra  
enim sæpe venientem super se bibens imbrem; et ge-  
nerans herbam opportunam illis a quibus colitur, ac-  
cipit benedictionem a Deo*<sup>93</sup>. Igitur et nos, fratres,  
omnem patiamur ærumnam; omnem miseriam,  
omnem incurrentem aspectabilem et inaspectabilem  
tentationem, ipsum hoc quod ducimus jejunium,  
esurientes, sitientes, cæteris afflictationibus feren-  
dis, quo fructificemus felicitateque divina fruamur.  
Neque id duntaxat, quin ad epulas Jesum invite-  
mus; ut enim mundi nos oblectamur spectaculo,  
ita is animi pulchritudine nostri. Jam qui sunt  
fructus? amor, gaudium, pax, lenitas, benignitas,  
beneficentia, fides, mansuetudo, continentia: hæc  
huic epule, hæc invitatio est. Ac felicem qui eum  
pascat, ab quo vicissim perennibus bonis pascatur,  
felicem qui invitet, abs quo in cœlesti regno redin-

<sup>92</sup> Rom. 1, 20. <sup>93</sup> Hebr. vi 7.



vitetur. Vab, qui hic tecto capiat regem, gaudet ac triumphat; quo magis qui regum Regem, Dominum dominorum? capi quidem hæc ejus indicio est sententia: *Ego et Pater veniemus, et apud eum mansionem faciemus*<sup>94</sup>. Ac rursum: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*<sup>95</sup>. Quibus editis promissis, non feramus modo, quin læti omnia feramus, tam præsentia, quam quæ rumoribus jactentur, atque metuantur, audientes Apostolum dicentem: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*<sup>96</sup>; divumque Jacobum: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes*<sup>97</sup>. Viden' ut tentationes gaudio, ac voluptati sint ærumnæ; ita enim sunt quæ negotiatione quadam divina commutentur, atque id vitæ institutum sancti iniere. Quo nos quoque obeundo nisu, ac renisu, et eorum vestigiis grassati, cœleste regnum eriscemur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper; in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXIX.

*In divi Platonis memoriam. Qui in ærumnis ac miseris vitam transiere, incredibili alienaque dolori voluptate frui.*

Fratres Patresque, cum homini omni sermonem, remve ineunti ærumnæ in primis, et difficultas quæritur, tum extremo certamine gaudium ac lætitiâ. Sane lacrymabundus, secundum carnem, rusticus serit, exultabundus metit, profectusque in prælium miles lugere solet, ovabundus redit: igitur ad metam nos quoque eveci continentiæ, priorum afflictationem laborum minime recordermur, læti præsentibus, Herumque laudantes. Quin splendatis et in posterum studiis præclaris; nam equidem testor jejunii tempus egregie obivisse, sine pugna, citra tumultum, morigeros probe compunctos, suum quemque officium satis superque functos. Ac grates præpotenti Deo, qui vires contulit explendi. Idemque, fratres, exemplar capiamus sub hujus exitum vitæ, cum a sua quisque functione cessabimus, vitæque nostra Christus patefiet, Deo, et Patri regnum traditurus, auctoribus Scripturis, omni extincta potestate, imperio, potentia: siquidem haud tum sancti supplicia, ac pro virtute sentient certamina, quin incredibili, alienaque dolori voluptate in ævum perfruentur. Quinam ii; præ lege illustres, et in lege Patres, vatesque Abrahami, ac Mosis instar; in gratia, beati Apostoli, laureati martyres? omnis sanctorum chorus, ac præ his insuper:

Eximius Præcursor, quem in (17) adulteri reprehensione regis Pater imitatus Plato est, ejus hodiè memoriam celebravimus.

Ὁ μέγας Πρόδρομος, οὗ μιμητῆς ἠξιώθη γενέσθαι ἐν τῷ ἐλεγμῷ τοῦ μοιχεύσαντος βασιλέως Πλάτων, ὁ ὅσιος Πατὴρ ἡμῶν, οὗ δὲ τὴν μνήμην σήμερον ἐορτάζειν ἠξιώμεθα. FABRIC. *loc. cit.* pag. 280.

Cumque egregii magistri cogat necessitas egregios esse et discipulos, cognoscendo ex arbore fructu, hortor, et obtestor, gradiamur nos quoque eadem norma, iisdemque vestigiis, quibus tum ille, tum cæteri Patres fratresque de studio monastico, ac confessione quæ incumbat, remittentes nihil:

Jam enim audieritis sine dubio quid infelix Alexander admiserit, ut obedientiam juxta, et confessionem abjuravit. Quod unde contraxit, nisi qui solitarius obiret, (quod equidem frequenter solitariis objecto) studioque nummorum Judaico flagraret? igitur herum uterque gloriosum prodit, hic Judæis, ille Judæorum gregariis Iconomachis.

Ἦδη γὰρ πάντως ἤκουσατε τί πέπραχεν Ἀλέξανδρος ὁ δύστηνος. Ἐξήρνησατο καὶ τὴν ὑποταγὴν, καὶ τὴν ὁμολογίαν. Καὶ πόθεν τοῦτο πέπονθεν, ἀλλ' ἢ ἐκ τοῦ εἶναι αὐτὸν μεμονωμένον, ὃ πολλάκις ἐγκαλῶ τοῖς μεμονωμένοις, ἐκ τοῦ φιλάργυρος γενέσθαι κατὰ τὸν Ἰουδαῖον. Ἀμφότεροι οὖν προσέδωκαν τὸν Κύριον τῆς δόξης, ὃ μὲν τοῖς Ἰουδαίοις, ὃ δὲ τοῖς ὁμόφροσι

τῶν Ἰουδαίων εἰκονομάχοις. [FABRIC. *Bibl. Græc* Harles, 281.]

Ut merito Apostolus clamet, *Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et confixerunt se doloribus multis*<sup>98</sup>. Neque hic possum quin plerosque vestrum haud abs re equidem tangam. Quamobrem? quod ambitione, ac primatu homo futilis caperetur, ludicro seriam ei noxam comparastis, quasi quodam Pontifice eo creando. Quod is ludicrum, diabolo plenus, extulit in opus: indeque quod infortunium contraxit? fidei naufragium fecit, merces amisit virtutis, contristavit nauci nos quoque, Dei Ecclesiæ fraudem, quantum in se est, attulit. Sed benignus Deus qui obrutam interitus profundo mentem educit, tandem aliquando eum facti poenitentem revocet a lapsu, et temeritas, ac futilitatis gratiam vobis faciat, omnesque nos in suum cœleste regnum conservet, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXX.

*In Quadragesimæ finem. De cunctis patiendis suppliciis, et Domini ac sanctorum imitatione.*

Fratres Patresque, fors contristaverit vos superior catechesis, agitari in nos pericula professa. Sed quia hæc locutus sum vobis, ait Domi-

<sup>94</sup> Joan. xiv, 23. <sup>95</sup> ibid. 21. <sup>96</sup> Coloss. i, 24. <sup>97</sup> Jac. i, 3. <sup>98</sup> I Tim. vi, 10.

(17) Constantinum intelligit, juniorem Irenes imperatricis filium, de quo infr. Cat. 74.



nus, *tristitia implevit cor vestrum; sed ego veritatem dico*<sup>29</sup>. Apostolus rursus: *Mihi quidem haud dictu molestum, vobis præsidio est*<sup>1</sup>; itaque, cohortor, spiritali omni præsidio firmemur. Ac si in opus rumor prodeat, Deo duce, occurramus quam fortissime; sin minus, ne sic quidem alienum frugi futurum est, benigno Deo apparatus eum probante citraque plagas, et labores propositum munerante. Cæterum jam in extremis Quadragesima est, tempusque insignem attulit coronidem, id est, vitium Servatoris recordationem vulnerum, unde est qui vel maxime consolatione fruamur. Nam si fletus Deusque pro peccatis nostris est comprehensus, quid magnum si nos quoque, inutiles servi, pro eo comprehendamur? si nexus ille, ac constrictus, in custodiam ducitur, quid novum si et nos idem quod herus patiamur? enimvero vel permolestum est nequaquam hæc contingere. Quin si vel vapulare necesse est, vapulemus, si vel pugnis accipi, pugnos, si vel consputari, sputa; si vel necem denique obire, illustrem patiamur necem. Ac beatum qui vel partim Christi suppliciis communicet; hoc felicitas est, hoc immortalitas. Non audimus quid Apostolus dicit: *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*<sup>2</sup>? Ac si diceret: Nemo me contemnat, nam equidem Regis Opt. Max. in meo corpore insignia fero. Talis erat cum beatus Ignatius, qui deiferum se vocavit, quod Christi in se supplicia ferret, tum divus Eustratius, qui in tormentis vociferatus diceret: Nunc scio in me vivere Christum. O beatissimas voces! O ter felicissimos animos! Quorumnam vero agimus memoriam? quorum celebramus natales? quibus fana augusta molimur; quorum veneramur reliquias? non martyrum? non confessorum? non sanctorum? Qui hic tanta aucti gloria, dici ac cogitari nequit, quanto et cujusmodi splendore in futuro sæculo fruuntur. Hæc illa est egregia negotiatio; hic ille felix contractus, exiguis laboribus ac certaminibus æterna et immortalia parare. Quos imitemur, fratres, nos quoque, ac cum Augusto sanguine nostrum misceamus; etenim potest; nam nec dispar natura est, nec mutatus qui dicat: *Videte, videte quia ego sum, et non sum mutatus*<sup>3</sup>. Ex æquo omnes deamat, pro omnibus defunctus, inconsumptum quoddam omnibus delictum propositus omnium salutis amans, æque ejus sunt divitiæ. Siquidem *Dives*, inquit, *in omnes qui invocant illum*<sup>4</sup>. Igitur eum in præsentibus invocemus, et vires ac robur animis largietur amplectamur, et hostes nostros aspectabiles, atque inaspectabiles nauci præbebit, præstolemur, ac nos resurrectionis mortuorum die, et adventus, coronabit, quem et insontes prævertamus, ac pro tribunali sistamur inculpati, defensione obita præclara per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria

et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO LXXI.

*Lazari Præparatoria. Cavendum nobis esse a diaboli vasfrilitie, neu secessiones agitemus.*

Fratres Patresque, Domini in Evangeliiis hæc sunt verba: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua*<sup>5</sup>; idemque parum adfuit quin nobis quoque fieret nauci. Verum haud permisit ter Optimus supra vires afflicti, quin cum periculo præbuit et exitum, quo perferre valeremus. Neque vero quid sentiam nescitis: equidem fratrum vestrum in ærumnis connixum, ac conspirationem probo, ut acceptum Deo, et frugi, ac laudabilem, secundum hoc Apostoli effatum: *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatum est sollicitudinem? sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed amulationem, sed vindictam in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio*<sup>6</sup>. Scilicet ea verorum fratrum est affectio, quam et ratio desiderat: ait enim: *Sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*<sup>7</sup>. Ac tuere, sodes diaboli studium et industriam, quemadmodum ceu le rugiens oberret, vestigans quem devoret, quem intercipiat, seu partim, seu solido: siquidem partim potitus, minime conquiescat, quin in pejus properet semper, dum peccati exigat mortem. Exempli causa, tentat in primis qui accessum patiamur, tum autem ut vitiosum animo loquamur ita pollutam porro mentem et infectam, habitu demovet naturæ, amentem, brutam cæcam molitus, quæ ambiat nefaria, pro luce tenebras, amaritiam pro dulcedine, mortem pro vita. Atque hæc comparata est tentatoris in nos pestis. Cæterum nos, fratres, animos omni ope tueamur, nequaquam locum diabolo dantes, quin negantes illicet accessum, sin vincamur, quod proximum est ne polluamur. Sin id patiamur quoque, ne immoremur, atque in peccati perpetrationem devolvamur: quod evenire ex præsumptione solet, ac veterum recordatione rerum. Sed præsumptionem, rerumque novitiam, et tanquam reducem usurpationem fugiamus: nam cogitatione incidem versari quid aliud est quam mente in Ægyptum reverti? Atque id secundum exteriorem hominem cavendum est? secundum interiorem, quæ Apostolus jubet: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem frugi et utilis ut det gratiam audientibus, et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia; estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis*<sup>8</sup>. Præterea secessionem fugiamus quoque, ut

<sup>29</sup> Joam. xvi, 6. <sup>1</sup> Philipp. iii, 1. <sup>2</sup> Galat. vi, 17. <sup>3</sup> Malach. iii, 6. <sup>4</sup> Rom. x, 12. <sup>5</sup> Luc. xx, 31. <sup>6</sup> II Cor. vii, 11. <sup>7</sup> I Cor. xii, 26. <sup>8</sup> Ephes. iv, 29-32.



auctores lapsuum : hem, intra caulam sunt fratres, tu extra es? in silentio fratres, tu gannis? dormiunt fratres, tu huc, illuc damnatis vagare locis? hinc illæ noxæ, hinc ruinæ. Quid segrege fit ove? non prædæ est feris? ad eundem modum et qui e fratrum contubernio secedat. Sed nequaquam sic, fratres, nequaquam, quin ornate omnia, decenter, accurate, serio gerantur, quasique in oculis divinis, qui occulta æque, ac aperta, et diurna, nocturnaue speculetur, nec corporis juxta et animi motus omnes nesciat; quo sic nullam Judæis, Græcisve, aut Dei Ecclesiæ fraudem comparemus. Atque hæc hactenus, nunc cum finem habeat Quadragesima, Deum laudemus qui firmatos in ejus laboribus perfungi ea tribuit en abiit molestia, manet præmium, tenuatum est corpus, animus pinguefactus. Equidem tum pinguescatis, tum consecremini magis magisque, solidaque mens, et animus, atque corpus in Domini nostri Jesu Christi adventum irreprehensa serventur, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXII.

*Hebdomada majore de salutifero supplicio, deque submissione ac patientia, doctrina.*

Fratres Patresque, sacer est hodiernus dies atque venerandus : etenim hinc auspicatur herus pro nobis supplicia sustinere crucis, ut fert hoc Davidicum dictum : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus*<sup>9</sup>? siquidem convenere simul sceleratum in Dominum consilium agitantes ac negatum veterator Judas, discipulus, fraudulentum suavio prodit. Ergo trahitur vinctus arbiter, cunctorum judicio sistitur, interrogatur, respondet, respondenti (o historiam horrendam) pugnum ingèrentem servum leniter compellat : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis*<sup>10</sup>? verborum insolentia petitur, illuditur, subsannatur, contumeliis laceratur, inspuitur, colaphis cæditur, vapulat, crucem conscendit, conscensa, pro interfecto precatur : *Pater, dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt*<sup>11</sup>; potum fel aceto temperatum ducit, perforatur lancea, denique moritur immortalis. Hæc sunt, ut summatim dicam, Heri supplicia : eaque qui inaudiat catus, non irascitur, non irritatur, non efferatur, non intumescit, non fratrem calcet, non invidet, non ambitione ducitur, quin submissus, ac contritus, terram se cineremque putat, societatem desiderat Christi suppliciorum, mortuo satagit conformari, quo in resurrectione particeps fiat gloriæ. Vos quidem certe et communicavisse partim, et communicare Dominicis suppliciis par confidere est, nam videte ubi sitis. Non ob ejus sermonem et testimonium in exilio ac persecutione? non olim pericu-

lum quoque compedum fecistis? non per ludibrium cruorem effudistis? aliquot athleticè fratres obiere? Igitur hic nobis Dominicus triumphus, munusque suppeditat. Quoniam vero ad extremum felicitas secunda nemini est, tum quod facilis conversio est, tum etiam quod incertum quid cras pariturum sit, cohortor, state in Domino inflexi, et invicti, ceu uno in animo unaque mente, pariter evangelicam fidem propugnantes, nulla in re ab adversariis exterriti, aut offendiculum præbentes, quin Dei ministros undiquaque probantes, obedientia, submissione, mansuetudine, lenitate, patientia multa, nam : *Patientia, inquit, vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem; adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet et non tardabit*<sup>12</sup>. Et quid autem ringimur ærumnis, ac non potius inducimus animum pro Hero in dies mori? siquidem scriptum est : *Si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*<sup>13</sup>. Jam quod sensuri sunt gaudium sancti cum venientem cœlitus Herum spectabunt magnificè angelis stipatum, qui se cum incredibili triumpho coronatum vocet, contubernalis porro in omnem perpetuitatem futurus? quem habituri sunt dolorem qui Evangelium detrectarunt, jussaque repulere qui quidem poenas dabunt, auctoribus Scripturis : *Exitum perenne a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt*<sup>14</sup>. Quæ contemplati, ac reputantes, fratres, magis magisque a cunctis corporis animique nos inquinamenti purgemus, sanctimoniam obeuntes in Dei timore, avidi in melius, nitentes in perfectius, vitia perosi, virtuti coherentes, pro fraterno amore invicem benevoli, honore alter alterum præferentes, haud studii segnes spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in ærumnis tolerantes, precibus instantes qua sinceritate præditi, tum imminens digne Pascha obeamus, tum bonis frui perennibus mereamur per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXIII.

*In hebdomadam majorem. De Domini Herique nostri Jesu Christi supplicio.*

Fratres Patresque, cum alias semper Domini nostri Jesu Christi supplicia ad mentem revocata animum pungunt et exstimulant, tum his maxime diebus, cum finem singula cœpere. Quænam hæc autem sanguinarium in eum consilium, Judaica comprehensio, ad necem ductatio, causæ pro tribunali Pilati dictio, interrogatio, castigatio, colaphi, sputa, contumeliæ, ludibria, crucis conscensus, manuum ac pedum suffixio, fellis degustatio, ictus lateris, et quæ cum iis alia micuere, nec capere queat mun-

<sup>9</sup> Psal. II, 1, 2. <sup>10</sup> Joan XVIII, 23. <sup>11</sup> Luc. XXIII, 34. <sup>12</sup> Hebr. X, 37. <sup>13</sup> II Tim. II, 12, 13. <sup>14</sup> II Thess 1, 9, 10.



dus, nec digne recensere valeat non dicam mortalis, sed nec cunctæ angelorum linguæ; nam cogitemus, fratres, ingens hoc atque ineffabile arcantum. Qui animorum consilia reteggit Deus, omneque perspicit humanum cogitatum, hic ille est qui capitis sistitur iudicio, qui præpotente jussu universa librat; hic ille est qui in sceleratorum manus deditur, qui obligatam in nubibus undam ex æquo tempestive inserit solo, hic ille est qui colligatus rapiatur, qui cælum palmo, ac terram mensus pugillo est, lanceque montes libravit; hic ille est qui servi pulsatur dextra, qui florum varietate uber imbuit terræ; hic ille est qui spinis inglorie coronatur, qui in pomario vitalem arborem consevit; hic ille est qui ligno infelice pendet. O immania, et inaudita miracula! quæ tum intuitus sol defecit ac una contenebravit, tum sentiens concussa terra est, et perrupta saxa, cunctaque Heri injuriis conversa machina. Jam inanimis, ac sine sensu elementis, ceu animalis, sensuque imbutis, præ Dominico terrore atque usurpatione spectaculi attonitis, et immutatis, nos (malum) ornati ratione, pro quibus obiit Christus, inestimulari, ac lacrymis alieni per hos maneamus dies? scilicet non bardisimus bardiores, non lapidibus duriores? Nequaquam, fratres, nequaquam quin positi in stupore quodam divino, egregieque conversi, fletum provocemus, vitia trucidemus, injuriam compensantes injuria, vulnus vulnere mutantem, partim obedientia, partim confessione obnixa. Non videmus quot studii sint suscitabula divini, quis pro amico carcerem coluit? quis necem pro amasio suscepit? Enimvero clemens Herus pro damnatis non unum, alterumve, sed mille supplicia peregit, ut merito hæc recogitans Apostolus, vehementique divini sensu perfruens amoris, scribat in hæc verba: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* <sup>15</sup>; nam eo studio nos amplexus Deus est, ut *Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, uti scriptum est, sed habeat vitam æternam* <sup>16</sup>. Huic studio quod obmoverent hostimentum sancti habentes nullum, corpora sua, sanguinemque monastice juxta, et athleticæ obtulere, Davidicum hoc exsecuti carmen: *Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis* <sup>17</sup>? Quam nos, fratres, assidue vocem usurpemus quoque inexaurata ei quadam animi voluntate servientes, ac magis magisque in melius nitentes, quo cum sanctis hereditatem, eriscamur æternorum bonorum, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LXXIV.

*In Michaelem, regno impie functum, tam pro fide corrupta, quam pro nefarie inducta conjuge, neu in periculis consternemur.*

Fratres Patresque, mihi quidem haud dictu molestum vobis præsidio est <sup>18</sup>, inquit Apostolus, quod inops equidem pro virili quoque haud facere desistam, nunc cohortans, nunc commovens, nunc vos præmuniens, si qua effugiam vobiscum venturam immorigeris cladem.

Cæterum esse et nunc immorigeros cum multa sunt exempla, tum unum capitale in imperatore, non solum fide corrupta, sed etiam nefarie inducta conjuge, quibus, quis non ingemiscat, et indoleat comparata rursus in Ecclesiam noxa, pestique peste ac persecutioni addita persecutione? Fugit vos, fratres, quid sub Constantino accidit, parente ejus, quæ nunc monasticum exuta vota imperatoriam dignitatem induit? non uxore electa legitime ducta: et alia surrogata, adulterium de Domini sententia patratum est, indeque oppugnationes, ac calamitates Dei Ecclesiæ conflatae, non ab uno scelus in complures permanens nostrum infecit orbem? Idem agi et nunc videat qui mente præditus inducat animum pro vero afflictiari; nam cæteris nec curæ est tantillum, stupidis fortuna, seu, ut propius dicam, imperii deditiis, cui Proteus se ex libidine gerant. Nos enimvero, fratres, inconcussæ stabilitatem fidei tueamur, in veroque præceptorum iudicio constantiam, non qui plausibilibus quorundam inventis deludamur. Ac si videtur, silentium in primis complectamur; siquidem: « Prudens ait, in tempore illo tacebit, quia tempus malum est <sup>19</sup>; » tum autem apparemur, ne fors oppugnatione hac abjectos haud citra pericula homunciones dimittant. Equis vero est apparatus? nimirum excelsæ omnia ferre, nec Christiano antiquius amore quidquam ducere, quin cum Davide sari: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo* <sup>20</sup>; atque hoc apostolicum; *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* <sup>21</sup>. *Væ mundo a scandalis*, ait; *ne cesse est enim venire scandala, ut qui probati sunt manifesti fiant* <sup>22</sup>. Viden' ut in scandalis lecti retegantur Deo, ac tentationum igni probatus auriformis animus ostendatur? Jam malorum insolentes, haberemus ceu imperiti cur sollicitaremur nunc laude hac non semel, iterumve quin sæpius gustata, nactique hoc divinitus beneficium pro Christo perpeti, nequaquam consternemur, dicamusve, Iterum tentatio? sane iterum tentatio. Cedo enimsis, num fluiva est hostium, qui aciem fugiunt oculorum, cum carne, atque sanguine lucta? num stadium solutum Dei petentum? solvetur id quidem cum hinc abierimus; cæterum quoad corpore teneamur, omnino bellum sunt et discrimina præsto. Enimvero de tentationum prorogatione sanctorum

<sup>15</sup> Rom. viii, 38, 39. <sup>16</sup> Joan. iii, 16, 17. <sup>17</sup> Psal. cxv, 12. <sup>18</sup> Philipp. iii, 1. <sup>19</sup> Amos v, 13  
<sup>20</sup> Psal. cxvii, 6. <sup>21</sup> Philipp. i, 31. <sup>22</sup> Matth. xviii, 7.



stomachatus nemo est, ærumnisve tolerandis mutatus, quin ait David : *Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est* <sup>23</sup>; et Jeremias : *Non sum te sequendo defessus, et diem hominis non desideravi* <sup>24</sup>. Apostoli vero hæc sunt verba : *Libentissime gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi: propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum* <sup>25</sup>. Idem nobis studium ducendum est, dicendumque socium habentibus Christum, ac commilitonem in conflictibus, quippe *Haud te deseram, inquit, neque relinquam* <sup>26</sup>. Cæterum si pro nobis Deus est, quis contra nos? Jam si vulgus hominum gaudet pro caduco pugnare rege, quanto nos magis pro supremo decertare, et in arenam descendere? Igitur ei proposito insistamus, fratres, seu ingruat tentatio seu non ingruat. Quanquam iuminet ab hoste perpes, si minus conspicua certe invisæ, positæque sunt in tentatione coronæ, et in bello victoria, ac qui gravia sit perpessus, næ is præmia quoque referat ingentia, nos quidem hæc e vita ovabundi profecti, vitam cum sanctis perennem ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXXV.

*Committendum non esse ut licentia abutatur, qui Christianam ineat vitam, gratulandumque subeundis molestiis, præmium intuentibus futurum.*

Fratres Patresque, equidem vellem unumquemque vestrum coram spectare, omnesque impertiri pro viribus sermone qui vestram elaborem salutem, ac præfecturæ timeam periculum, sed posteaquam minime id oppugnatio permittit cohortor tum conjunctos, tum devinctos pariterque cunctos circumspete sibi cavere, tam indidem in hospitio quo utamur, quam ubicunque locorum versemur, nihil citra constitutum facientes; non licentia alter in alterum abusi, non colloquia cum pueris crebra agitantem, (tantum abest ut cum mulieribus dicam) quin ubi necessitas cogat videre, alloquive cauti, qui mentem surrigamus, et oculos dejectenius; nam aiunt Litteræ : *Virginem ne contuere, neu cum psaltria consuesce, ne forte scandalizeris in suppliciiis ejus* <sup>27</sup>.

Omninoque ceu Deum habentes præsentem ac motus omnes, et actiones corporis, animique tuentem, sic degitote, atque obitote, quem in locum secretus quisque est gratulati et subeundis discriminum molestiis, qui repositam speculemini mercedem, neque enim injustus Deus est ut facinus vestrum ac laborem sit oblitus amoris quem erga eum testati estis ex quo primum secessionem fecistis; qui mundo, et mundanis relictis, parentibus, fratribus, stirpe, patria, corpus insuper ad certamen

objectis qua obedientiæ, qua confessionis, quæ incumbat, scilicet quam illustris professio vestra est, tam illustrius præmium non mundanos cernitis, atterantur, atque afflicentur, hi agricolationem urgentes, publica stipe, et exactionibus gravati, ut ægre potum sibi, ac cibaria procurent, illi militia terra, marique perfuncti, bello lacescentes, atque lacesciti, cædentes cæsique? quorum nos omnium immunes, vivo veroque Deo servimus. Non ut aliud nullum suppetat, vel hoc satis est ad voluptatem, gratulationem, triumphum? sane obsecro, fratres. Ut circumspete insuper sit vivendum, qui ornate cuncta, decenterque obeamus, abstinentes, et corporis libidines, quæ cum animo conflictentur, primo incursu repellentes mentisque puritatem parantes, quo sincere hinc profecti, bona ineamus æterna per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu nunc et semper in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXXVI.

*De mortis recordatione, odioque mundi, ac mundanorum.*

Fratres, Patresque, quam eximia Catechesis, quam frugi admonitio est? quæ intentos ad officii functionem, vigilesque præstet. Id adeo facere negligamus nunquam, neu cessemus a cogitatione, et amore divino ac corporis dejectu; siquidem paulo post dejungemur, ac moriemur quemadmodum cuncti majores, in alium mundum aliud ævum, aliam abituri vitam, immensam, et infinitam. Nostra hæc sane instar somnii, umbræque est, quæ exiguis terminetur annis. Nec spatium consequamur oculis temporis quantum longissimum ab orbis fabrica ad sæculorum pertinet decursum, quin ejusque vitam, quemadmodum ad Davidicas pervecta metas, atque id in perpauca, minime ulterius tendat. Hæc enimvero arbitrati omnes obivere sancti, hæc spe, ut Apostolus testatur, decessere : *Non acceptis repromissionibus sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentem; quia peregrini, et hospites sunt super terram, qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ejus meminissent de qua exierunt, haberent utique tempus revertendi, nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem* <sup>28</sup>. Hæc urbs nostra, hæc patria est, hic Patres fratresque nostri, spiritales ac carnales. Jam quid amplectendam porro hanc temporariam vitam ducimus? quid in ejus studio quasi quibusdam clavis defigimur? quid irrevulsi ad exitum luctamur? Amentum est nolle ab exilio redire domum, aut e bello in pacem restitui. Nos quidem, charissimi fratres ceu prudentes, et qui secessionem eapte causa fecerimus, mundo mundanisque relictis, vel vitam meditationem quam-

<sup>23</sup> Psal. cxviii, 143. <sup>24</sup> Jerem. xvii, 16. <sup>25</sup> II Cor. xii, 7, 10. <sup>26</sup> Jos. i, 5. <sup>27</sup> Eccle. ix, 5.

<sup>28</sup> Hebr. xi, 13.



dam obitus præstemus, qua meditatione cunctam A per Christum Jesum Dominum nostrum; cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO LXXVII.

*De vera, ac genuina obedientia, et confessione, studioque Dei præceptorum.*

Fratres Patresque, aliud vestrum carnale est demensum; aliud spiritale, illud porrectum ab œconomio, in cibis, potu, vestimentis locatum hoc a me nauci, in sermone, doctrinaque situm. Atque ut illud necessario præbetur, ita hoc necessario debetur quoque ut nihil faciam magnum, qui hæc vobis B segmenta ac mendicabula disseram verborum, quin tremam et extimeam, ceu rationem daturus animorum vestrorum non regi, præsidi imperatori, sed omnium judici, atque Deo, cui congenueculabunt universi, cœlestes, terrigenæ, subterranei cunctæque laudes peragent linguæ, qua in cogitatione pave-  
scant illustres vita, ac sermone sancti nedum infelix ego. Verum opitulamini obsecro, vobis juxta, mihiq; ut amantes fratrum, virtutis functione vobis, precibus mihi etsi mea est vestra functio, atque e contrario, posteaquam corpus unum ac membra sumus vicissim, et sive patitur unum membrum, ait ille, *compatiuntur omnia membra sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*<sup>29</sup>. Et par est sane; ut vestrarum ego C rerum satago, sic vos mearum satagere; nam ego in vobis, ac vos in me estis, pro studio et amore, eaque norma veræ fraternæ reipublicæ cœtus describitur. Ergo obedientiam mihi vestram insignem genuinam servate (non illam cauponaria fide) in qua nati, educti, adulti Dei beneficio ad confessionis divinæ culmen evasistis, primis alterisque periculis defuncti, non reges timuistis, non magistratus expavistis ad certamina, plagas, exsilia, compedes, supplicia expediti, celebritatem peperistis, ut omnibus perspectum est, quamobrem ne committite, fratres, ut hanc vestram virtutem prodatis, neu infamiam gloriæ quærat, neu eximium nomen in fœdum vocabulum vertatis, quin D superioribus sequentia egregie superstruite, undiquaque muniti; intus, extraque divinis tecti præceptis, tentationem omnem et ærumnam vincentes, atque superantes, certi hoc quoque adhuc nos in acie, ac periculis versari, ignaros quid cras pariturum sit. Quanquam si pro nobis Deus est, quis contra nos? qui Filio non pepercit, quin pro nobis omnibus præberetur, scilicet non cum eo cuncta largiatur? sic sperate, sic præsidite. Eaque spe, et fiducia grassati, nihil dubito quin sanctorum in cœlesti regno cohæredes sitis, ac partiarum futuri

per Christum Jesum Dominum nostrum; cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO LXXVIII.

*De audiendis serio sacris Litteris.*

Fratres Patresque, omnes homines cum aures habemus oculosque, tum minime omnes audimus, ac videmus, nec nisi auriti et perspicaces. Ergo ait Dominus in Evangelio, *Qui habet aures audiendi, audiat*<sup>30</sup>; ac de inobsequentibus vates: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant*<sup>31</sup>. Quamobrem necesse est quæ legantur serio, non leviter et obiter audire, ne in minas incidamus, sed hoc usurpemus scriptum: *Disciplina Domini aperit mihi aures*<sup>32</sup>. Equidem qui sic audiat, inaudit, compungitur, purgatur, illustratur, ovat, exsultat, ut fert Davidicum carmen: *Exsultate, justi, in Domino*<sup>33</sup>, cuncta hæc umbram æstimat fugacem, omniaque pro stercoribus ducit, quo Christum lucretur, exempli gratia, audit discipulos alloquentem: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos modicum, et mundus me jam non videt; vos autem videtis me quia ego vivo et vos vivetis*<sup>34</sup>; et rursus: *Ego sum vitis vera, vos palmites*<sup>35</sup>. Iterumque: *Vos amici mei estis, si feceritis quæcunque ego præcipio vobis.*

Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciet dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis<sup>36</sup>. Et alibi: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis testamentum æternum, ut edatis, et bibatis in æternum super mensam meam in regno meo*<sup>37</sup>, hæc, aliaque similia Dei audiens studiosus, non lætatur modo, quin mori Christo quotidie animum inducit. Sane id institutum cuncti iniere sancti et his studiis quasi quodam celebri triumphosum Dei desiderium ostentant, quippe ait Jeremias: *Non sum te sequendo defessus, et diem hominis non desideravi*<sup>38</sup>. David quoque: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo*<sup>39</sup>. Apostoli vero hæc sententia est: *Nobis donatum est a Deo, pro Christo, non solum ut in eum credamus, sed ut etiam pro illo patiamur*<sup>40</sup>. Nec Apostoli secus: *Verberati, inquit, gaudebant, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati*<sup>41</sup>. Bre iter iis vocibus omnes suum Christi studium demonstrant. Igitur audiamus, fratres, nos quoque quæ dicantur acuta, et amabilem Deum studio, ac amore prosequamur, assidue pro cunctis quæ in nos contulit bonis gratulantes, quos in primis ad salutem delegerit in monastici sanctimoniam voti, tum autem orthodoxa fide præditos, nec palabundos colere se, atque venerari concesserit; nam quot fraude, astutiaque mortalium impulsus sunt in errorem, ac fuci plausibilitate decepti?

<sup>29</sup> I Cor. xii, 26. <sup>30</sup> Matth. xiii, 9. <sup>31</sup> Rom. xi, 8; Isa. vi, 9, 10. <sup>32</sup> Isa. l, 5. <sup>33</sup> Psal. xxxii, 4  
<sup>34</sup> Joan. xiv, 18. <sup>35</sup> Joan. xv, 5. <sup>36</sup> Ibid. 15. <sup>37</sup> Luc. xxii, 28. <sup>38</sup> Jerem. xvii, 16. <sup>39</sup> Psal. cxv, 12, 13. <sup>40</sup> Philipp. i, 29. <sup>41</sup> Act. v, 41.



quot fame afflictantur, non panis, aut aquæ siti, quin verbi audiendi divini, quemadmodum scriptum est<sup>42</sup>? Nobis quidem, ceu opipara quædam mensa, præbita sanctorum doctrina est, alio hinc sermonem quasi quasdam condiente cupedias, inde alio velut aurum, divina moliente verba, ac serio aliis, aliisque hinc, et inde acclamationum delicias comparantibus: ut non abs re porro cum Apostolo dixerimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? quia proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit a mortuis, qui et est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*<sup>43</sup>, videlicet Deum ac Patrem, suumque regnum est perenne daturus: quem gloria decet et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXIX.

*Nequaquam mæste, quin fortiter obeundum ad quod vocati simus divinitus opus.*

Fratres Patresque, segnitiem nostram excitans Apostolus, scribit in hæc verba: *Gaudete in Domino, semper iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit (18) omnibus hominibus. Dominus prope est, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ fiant ad Deum*<sup>44</sup>. Quamobrem ne torpeamus; quin vivide, atque fortiter obeamus ad quod vocati simus divinitus opus: nam equidem Deus est qui e vita communi ad professionem nos monasticam vocavit, qui incolumi quadam veste, hilarique toga amicivit, qui a legis execratione redemit, factus pro nobis execrabilis. Itaque consistamus in libertate in quam a Christo sumus asserti, neu servitutis rursus teneamur iugo, neu fœdus cum vitiis ineamus. Servus manu missus paratitius, nequaquam inducat animum servitutem denuo servire, ab eaque profugus longissime, gaudet quod servili tyrannide sit exclusus, etsi haud malum est omnino servitus; nam Apostoli hæc sententia est, *Servus vocatus es? non sit tibi curæ (sed et si potes fieri liber, magis utere) qui enim in Domino vocatus est, Domini, similiter et qui liber vocatus est, servus est Christi*<sup>45</sup>; atque interrim, mancipatus, negat sub servitutis venire jugum, quo nos debemus magis, peccato liberati, procul abscedere.

Nescimus quid in nos designarit? non pomario proscrispsit? non mortales ex immortalibus effecit? non in hanc luctuosam introduxit vitam? non mali auctor omnis et fuit et nunc est? Ut fugiendum sit nobis, ceu pessimum, odio prosequendum, ut odio dignum, potiusque diligenda virtus, quæ angelos comparet mortales, atque adeo deos,

secundum illud, *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*<sup>46</sup>. Ecquæ est autem vis virtutis mundi propudium amorque divinus. *Nemo enim potest, ait, duobus dominis servire, non potestis Deo servire et mammonæ*<sup>47</sup>. Non virtuti, et inhæerere vitio potestis, nam luci cum tenebris communio nulla est. Jam levia sunt Dei præcepta; grave, ac nefas potius, insulse contendere qui contrariis potiamur; arbitrarique virtuti juxta, et vitio vacare, id est, carnalibus desideriis, ac spiritalibus facinoribus. Enimvero si ad perfectionis evasimus mensuram, pol Deo gratiæ, a quo est omne beneficium, munusque perfectum, pol stabiles consistamus, divino timore tuti, ab habituque præclaro immobiles, et inflexi; sin quid desit urgeamus, nitamurque ad perfectionem contingere donec fungendi imminet tempus, fide præfirmi, spe alites amore devincti, submissione nitentes, obedientia compti, patientia explorati, confessione relucantes, cæterisque cunctis recte factis velut ad amussim politi, ceu veri monachi, ceu minime mendaces subditi seu probi Christiani, ceu Dominici servi, quo cum expedite hic vitam peragamus, tum supremis bonis potiamur, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXX.

*Doctrina de fide.*

Fratres Patresque, debitum nunc quoque demensum vobis offerimus sermonis, tenue id quidem, ac mendicum, sed quod necessario offeratur tamen, ne ob silentium nos damnemur, vosque aliquantulum solatium capiat: nam ut maxime id e sanctorum lectione Patrum sentiatis, nihilominus nostram hanc etiam nauci requiritis doctrinam, ac præ illa, hanc ausim dicere, ceu illa historice recitata, hac in faciem dictata, et arguendo instituta, ait enim, *Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua*<sup>48</sup>. *Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*<sup>49</sup>. Quod absit de vobis dicere; siquidem haud sermocinamur, ut immorigeris, ac flagitio constrictis (minime gentium), quin ut morigeris filiis, ut charissimis natis, ut unanimis, et qui concorporis sitis, ac commilitones, quo gaudeatis, quo proficiatis, quo sinceri, et irreprensi in Christi diem evadatis, Christianorum pleni fructuum probitatis, in gloriam laudemque Dei. Ut vobis comparata sit oratio; nam qui aquæ scaturiginem e prærupta olim caute Israelitis præbuit, quid mirum si e lapidea hac mente brevem oratiunculam extundat? Quam haurientes, Deo gratulemur, qui alimenta ac potum conferat, vitamque instruat nostram velut in solitudine, hic de-

<sup>42</sup> Amos viii, 11. <sup>43</sup> Rom. viii, 31, 31. <sup>44</sup> Philipp. iv, 4-6. <sup>45</sup> I Cor. vii, 21. <sup>46</sup> Psal. lxxxii, 6. <sup>47</sup> Matth. vi, 24. <sup>48</sup> Psal. xlix, 21. <sup>49</sup> Joan. xv, 22.

(18) Γενέσθω auctor citat, γνωρίζεσθω habent evulgati.



gentum. Sed quoniam priscae historiae meminimus, A  
contemlemur, si libet, quæ tum immorigeris eve-  
nere, de quibus Apostoli hæc sunt verba, *Sed non  
in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam pro-  
strati sunt in deserto. Hæc autem figura facta sunt  
nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut  
et illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini,  
sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est:  
Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt  
ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis  
fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria mil-  
lia; neque tentemus Christum, sicut quidam eorum  
tentaverunt, et a serpentibus perierunt; neque mur-  
muraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et  
perierunt ab exterminatore*<sup>49</sup>. Quæ contemplati, fra-  
tres, iræ causas divinæ, pravum desiderium, mur- B  
mur, Christum tentare fugiamus. Quinam is ten-  
tetur autem? incredulis illapsis cogitatis, ut prolo-  
quamur. Ergo necessaria præbebit? ergo hostile  
bellum feremus? ergo hoc illudque patiemur?  
nequaquam, fratres, (incredulorum ea sunt, at-  
que dubitantium:) quin quid creduli omnia pas-  
suros.

Sic Noachus credulus diluvii internecionem evasit,  
arcam fabricatus; sic Abrahamus credulus parens  
multarum factus nationum est; sic Moses credulus  
mare ceu terram peragravit; sic pueri creduli ter-  
gemini in igne quasi quemdam duxere rorem, nec  
conflagrarunt; sic Daniel credulus leonum illæsus  
faucibus exivit, atque, ut breviter dicam, sic sancti  
omnes sanctimonia, sic probi probitate, sic marty- C  
res defuncti martyrio sunt. Ita creduli nos quoque  
cuncta patiamur, Christoque duce vineamus coro-  
nas adepturi probitatis, atque hanc ejus audituri  
palmariam vocem: *Venite, benedicti Patris mei,  
possidete paratum vobis regnum a constitutione  
mundi*<sup>50</sup>. Cui gloria et imperium cum Patre, ac  
sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque  
perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXXXI.

*De amore erga profectum; neu futilitate occupemur  
vitæ, sed in melius provehamur.*

Fratres Patresque, studio vos alloquor, non ne-  
cessitate, et si necessitas imposita mihi est, illo-  
quendi: etenim zelo prosequor divino, quantumvis  
noxius valdeque in vestro gaudeo profectu. Sin ac-  
cidit frequenter ut vos contristem, quemadmodum  
pridie, at ne id quidem quo contristemini, quin  
eximium cognoscatis meum in vos amorem (siqui-  
dem castigat serio quem quisque deamat, et quis  
est filius vero, quem non castigat pater?) quo per-  
fecti integrique sitis, nulla in re defecti, nam alio-  
quin et amplector, et obedientes, ac morigeros tes-  
tor, patriaque præcepta obeuntes, quanta haud  
scio an ulli nostra memoria subditi diligentia. Nec  
pol adolor, quin vera prædieo; nam quis tam una-  
nimus patri, aut obsequens profecto est in Domi-  
nicis mandatis, quam vos illustres estis undiqua-

que? Testimonio sunt exsilia, persecutiones, com-  
pedes, miseriæ, ac vel in sanguinem renixus,  
ineundo cum peccato certamine, quanquam haud  
id vestrum est. Dei beneficium est, a quo et laus  
suppeditat. Igitur alii sibi pecunias habento, præ-  
dia, monasteria, collegia; mihi ad celebritatem  
satis est vos duntaxat habere, in quibus me osten-  
tem, scilicet mea estis lætitia, corona, vita et ala-  
critis, ac si quid aliud insigne est. Tantum cohor-  
tor egregio et studio minime supersedere, nec mo-  
dum tenere boni, et ascensus quasique qui carnales  
ambient pecunias inexcitatum plus habendi de-  
siderium contrahunt, sic vos in spiritalibus ad ex-  
tremum halitum finem nullum facere in melius  
provehendi, siquidem haud sunt pares hujus tem-  
poris ærumnæ ad eam gloriam quæ in nos exhi-  
benda est. Non vitas intuemini sanctorum, quod  
laboribus ac sudoribus sint exactæ? non martyria  
sanctorum, quot cruoribus sint suppliciisque con-  
fecta? Quamobrem? quo Christum lucrarentur, quo  
bona pararent quæ mentem et ingenium superant,  
posteaquam temporalia sunt quæ videntur, quæ  
non videntur sempiterna. Non sol eximius est? at  
is quoque jamjam in tenebras abibit. Non eximia  
luna? at ea quoque haud lumen edet. Non eximiæ  
stellæ? at eæ quoque collabentur. Non eximium  
cælum? at id quoque ceu vestimentum veterascet,  
cunctaque mutabuntur, novis cælo atque terra pa-  
randis, uti scriptum est, ac vita subitura felice,  
et ineffabili, quæ socia Christo conjunctaque ma-  
neatur. Atque hæc sunt promissa, ex iisque cogi-  
tatis præsidium contrahamus quæ sensibus capian-  
tur iis quæ sensum fugiant vincentes, studiumque  
carnis divino coercentes, ac quemadmodum Apo-  
stolus docet: *Quæ sursum sunt, quærentes, ubi  
Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt  
sapientes, non quæ super terram*<sup>51</sup>, ceu hominum  
plerique, qui tanquam sues cogitationum luto volu-  
tentur, vitiorum obruti lacunis, quorum exitus pe-  
stis, atque in ignominia gloria est. Cæterum nostra  
in cælis vita est, unde et sospitorem manemus  
Dominum Jesum Christum, quem et spectare me-  
reamur benigne in regnum nos asciscentem, inactum  
gloria et imperio cum Patre, ac sancto Spiritu,  
nunc et semper, in omnemque perpetuitatem.  
Amen.

#### SERMO LXXXII.

*Operam dandam ut ab omni inquinamento purgemur  
per pœnitentiam, quam Dei munere habeamus.*

Fratres Patresque, vulnus vos mei pedis contri-  
stavit, nec injuria; nam læto, mœstoque pariter  
consentitis, ceu fratris studiosi, ceu patris amantes.  
Ego hinc vero catechesim molior. Quo pacto? sane  
ob mea saucius peccata, illicet opem, ac medicinam  
postulavi, quo factum est ut totum hoc triduum  
versari nequierim vobiscum, tum autem Dei mise-  
ricordia curatus, denuo intersum vobis, et inerro.  
Idem in animi morbis usu venit: accepit quis ex

<sup>49</sup> I Cor. x, 10. <sup>50</sup> Matth. xxv, 34. <sup>51</sup> Coloss. iii, 1.



aspectu audituve in mente vulnus? Fanatica cor- A  
reptus animi deformatione, scelerata cupidine, ira, furore, odio, invidia, rixa, contumacia, aliove lethali ullo facinore flagrat? e vestigio opus medicina est (ea est autem pœnitentia, id est, compunctio, fletus, lamenta, contritio cordis, cœtera pœnitentiæ pharmaca); indeque persanari, et in priorem redire statum, quod ni fiat, peccatum peccato, vulnus vulneri deprendimur addentes, incurabili morbo, lethifera quadam peccati ægritudine conflanda, sed nequaquam sic, fratres, quin cavendum in primis ut ne peccemus, nam quid animo jucundius puro, et inconcussa vitii mente? sin accidat peccare quoque, ut est labilis natura nostra, extemplo corrigendum, nec vel ad horam incuratum sinendum quidquam est, quippe instar furis mors est, nec qua B  
hora fur veniet tenemus, concubia nocte, an gallinino. Jam imparatum e corpore recedere plenum est periculi, sistique Christi tribunali perhorribile. *Vivus est enim, ait ille, sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus (19) compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum, et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo* <sup>52</sup>. Ac si ægre sospitatur probus, his sic habentibus, inquam, impius atque sceleratus ubi comparebunt? si Daniel vates judicio per visum conspecto attonitus inhorruit, quid nos passuri sumus, cum ad res erit de- C  
ventum? *Fluvius, inquit, igneus trahebatur coram eo, millia millium assistebant ei; et decies millies centena millia ministrabant ei, judicium sedit, et libri aperti sunt* <sup>53</sup>, quæ ubi contingent, ecquis subsistet, ecquis præfidet, nisi qui recta imbutus fide est atque actione præclara, qui fortitudine, justitia, temperantia mactus obsecutus ac subjectione perfunctus? Igitur cavendum est omni studio, fratres, horaque metuenda mortis, atque hinc in oras parandus exitus, nec committendum ut incautos fallat homicida hostis, qui semper socordia præsens dimittat, et in futurum executionem subjectet mandatorum: nam is est serpens, delusor, ac qui facinorum modos ingerat diversos. Quem ne ignoremus, quin assidue divina ope repulsum profligemus. D  
Equidem vos hanc in horam frequens huc convocavi; quo tria hoc ex ore verba audiretis, interque vos solatium vicissim mutua admonitione caperetis: siquidem præstans admonitio est, animum usquequaque novitium comparans. Quod Patrum in morem facitantes, novi explorete, ac confido, salutem quæsituros, et Deum propitium paraturos, regno adipiscendo cœlesti, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO LXXXIII.

*Gratulatoria, qui fratres adventantes haud pœnitende domo capiamus.*

Fratres Patresque, agenda sunt nobis Deo gratiæ pro bonis quæ largitur, maxime hoc in hospitio, quod, et si profugis, ceu in monasterio degentibus, satis superque est, unde adventantes domo capiamus.

Videtis quot juges hinc inde commeant fratres, (nec immerito; nam quo alio respectent nisi in Deum prorsus, ac tenuitatem nostram?) videtis et alios fratres Patresque, inopes, ac deploratos, divertentes, peneque dies sine invitatione est nullus, neque in his omnibus tamen necessaria defecere, quin superflua quoque præbita frugalitas est. Enimvero quid aliud dicamus quam haud frustra esse qui promiserit, *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia vobis adjicientur* <sup>54</sup>, nobis quidem sunt adjecta, frumenti, vini, olei fertilitas, et quæ alia fert necessitas, cunctaque spe majora sunt, nec sufficimus, aut agendis gratiis ut benignitas meretur vocem habemus rumpere. Sin nimirum invitationibus cogimur in arctum ac comprimimur, at videsis merces, lausque ad Deum quanta, ipsi monasteria tenentes admirantur, siquidem quæ iis haud facere contingat, nobis peragere tribuit Deus. Quamobrem? divina agnoscenda potentia, quæ spe fideque præstanda, non humanis officiis obeatur. Mihi certe res nostrates similes Israelitarum in deserto erroribus videntur, quadriennium hodie nec serentibus, nec metentibus, suppeditat indeficienter alimenta corpori Deus, non manna cœlitus pluens, sed horrea reserans habentium, non e caute aquam ciens, sed piorum nobis vinarias cellas profundens, cæteraque largitus quæ haud facile recenseam. Non hoc mirum, insolens, laudabile? Addam et aliud apostolice, *sicut egentes nos quidem, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* <sup>55</sup>, tantum in nos clementis Dei beneficium est, tantaque liberalitas: ut periculum sit ne honorum ignorance injuriam benefico faciamus. Sed advertamus animos, fratres, una omnes serio, tam qui hic degitis, quam qui commeatis, ac Dominica seduli præcepta exsequamur, mutuoque moneamus, ad amoris, ac bonorum operum instigationem, non projecte viventes, nec carnis, animive libidinibus perfuncti, nec murmurantes, instar priscorum: nec Christum tentantes, ut tum ii, poteritne hæc, illaque Deus porro sufficere? equidem scriptum est, *Omnia possibilis sunt credenti* <sup>56</sup>. Nobis quidem quæ ad salutem faciant credulis tum postulata Deus cuncta præbeat, tum adjumenta corporis; vitæque peragremus solitudinem, luce illustrati veritatis, et Amalecitem profligemus qui aciem fugiat oculorum validis instructi armis spiritus, atque haud pro-

<sup>52</sup> Hebr. i, 13. <sup>53</sup> Dan. vii, 10. <sup>54</sup> Matth. vi, 33. <sup>55</sup> II Cor. vi, 10. <sup>56</sup> Marc. ix, 22.

(19) Σώματος. Erat in nostro, sed emendavi ex Vat. πνεύματος. Ac sic est in divo Paulo.



missum equidem solum invadamus (siquidem nihil ad nos momentanea ac caduca), quin cœleste regnum incamur; certus est enim qui stipulatus dixit, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* <sup>57</sup>. Cui gloria et imperium, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXXXIV.

*Nequaquam occasionem quærentibus præbendam, deque ineundo cum vitiis conflictu.*

Fratres Patresque, præsentibus malis haud abs re hoc Apostoli usurpemus, *Tentatio non nos apprehendit nisi humana* <sup>57\*</sup>, quod ob dominum Theoctistum, eximium senem, diximus, velut omnino nostrum. Ecquæ est autem tentatio? quod is in insulam Chalchiton est relegatus, ejusque sacerdos, a contubernali delatus: ceu immemor principum, crudelissime tergo vapulavit. Ut mihi quidem conflari in nos pericula videantur, et si plerumque reperimur ipsi in ea nos inducere, qui enim possunt monasterium tenentes non memoriam agitare principum (scilicet non incolumes in urbe fratres: Patresque degentes hæreticis conciant tumultum?) *Exite de medio eorum* <sup>58</sup>, et *separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis* <sup>59</sup>, hi contra facientes, sustinent contraria. Nos enimvero nauci profugimus urbanos, hac in ora considentes, ut ne occasionem quærentibus præbeamus, ac nos indemnes hactenus tutatus Deus est, tuteturque etiam porro, si cavebimus, neque effuliamus hoc et illud, nec levibus et improbis sermonibus aurem tribuemus. Quæ Apostoli sententia est? *Sermo vester semper in gratia sit, sale conditus ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere* <sup>60</sup>; rursumque Dei germanus inquit: *Sic loquimini, et sic facite sicut per legem libertatis judicandi* <sup>61</sup>.

Quamobrem demus operam circumspecte ne intempestive in periculum ruamus, quin imminens malum ceu laqueum evadamus. Atque hæc tentatio est humana, id est levis; cæterum dæmonum, ea vero est pergravis, et implacibilis, qui nobis vexandis in dies, horas, momenta dediti, perdifficilem conflictum, arduamque cum primis victoriam præstant. Sed quoniam nihil non diligentia confit resistamus, ac Christo duce vincemus; nam is est qui nobiscum perferat certamina, quandoquidem *Sine me, inquit, nihil potestis facere* <sup>62</sup>. Quam in tentationem satagamus non incidere, ne diabolo in manum convenire, ubi haud brevis agatur in insulam relegatio, quin a Deo projecti in extimas tenebras portatio, nec tanta, tantillave flagra, sed immensa, æterna, infinita siquidem *Surgent, ait, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii* <sup>63</sup>. Itaque timeamus, fratres, porro, ac contremiscamus, cunctis contractis opibus, quæ in inte-

stini nobis Spiritus potentia sunt, viribusque locata, *consilia destruentes, uti scriptum est, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulciscentem inobedientiam* <sup>64</sup>, idque jugiter. Atque hoc improfligabile bellum est, hoc multiplex et diuturnum martyrium, nam qui assiduis petitis cogitatis minime defetiscatur, accidatve Bahali, quin repugnet, ac vitia transiliat, cupidinem, furorem, iram, timiditatem, næ is martyrio in dies multetur, habeatque qui cum Paulo dixerit, *Quotidie morior, per gloriationem, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* <sup>65</sup>. Quin sub certaminis sine audeat effari, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex* <sup>66</sup>, quod eloqui nos quoque universi queamus, comptique justitiæ corona regnum ingredi cœleste per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO LXXXV.

*Doctrina de noxia fugienda voluptate.*

Fratres Patresque, quantum certamen incumbat doctori pro discipulis Apostolus ostendit ad Timotheum in hæc verba: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, et doctrina; erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt* <sup>67</sup>. Equidem vero absit ut sic affectus vobiscum sermociner, sed quia veteriosa, pronaque natura nostra, quæ est oblita præceptorum quasi calcar, orationis stimulum et tanquam verbera assidue requirat, quo evigilet ac propositum sibi gaudium cernat, nam quid enim, non promissum cœleste regnum est? non vita immortalis? non ineffabilis lætitia? non pomarii deliciæ? non pares angelis honores? non requies sempiterna? Jam cur vincula, carcer, exsilia, ærumnæ, tormenta, necesse expetuntur? non ut promissa consequamur bona, atque intentas poenas fugiamus? Videsis martyres cruorem lætos effundentes, et alacres ad ensem, ignem, bestias, cæteraque cuncta supplicia abeuntes; videsis et sanctos cum animi voluptate corpus afflictores, atque in servitutem redigentes nihilque arbitantes virtute suavius. Itaque quid nos stertimus porro? quid diffundimur? quid perniciosus ac pestiferis vitiis occumbimus, quæ telo cor acutius vulnerent? *Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus* <sup>68</sup>, non abs re hic usurpemus quoque, quamobrem secedamus ab eis, ceu Sodomis, ac Gomorrhæ, igni atque sulphure ambustis, carnisque sensis depositis, quæ spiritui reluctantur, et repugnent, a servili studio asseramur, animis inventuri quietem,

<sup>57</sup> Matth. v, 10. <sup>57\*</sup> I Cor. x, 13. <sup>58</sup> Isa. LI, 14. <sup>59</sup> II Cor. vi, 17. <sup>60</sup> Coloss. iv, 6. <sup>61</sup> Jacob. i, 25. <sup>62</sup> Joan. xv, 5. <sup>63</sup> Joan. v, 29. <sup>64</sup> II Cor. x, 6. <sup>65</sup> I Cor. xv, 31. <sup>66</sup> II Tim. iv, 7. <sup>67</sup> II Tim. iv, 9. <sup>68</sup> II Cor. vi, 17.



nam quid requietius mente est, quæ vitiis impercita cum Deo agitet pacem? hoc gaudium ac triumphus, hoc felix suavitas, sacraque est voluptas.

Quapropter si frui volumus, perditam carnis voluptatem fugiamus, unde corruptela atque mors nascitur; siquidem *Qui seminat, inquit, in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*<sup>69</sup>. Sin apparere volumus gloriosi, vanam, et hanc gloriolam contemuamus, compti humilitate, omni-que præclara functione absoluti; ita enim tum expelite præsentem vitam transigamus, tum bona adipiscamur futura Domini nostri Jesu liberalitate atque beneficio. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXXVI.

*De gratiarum actione, neu in tentationibus vacillemus.*

Fratres Patresque, triennium jam hoc vitam insolentem ducimus, nec prorsus oppugnati, nec citra oppugnationem manentes, ex quo et invicem visimus, et ultro citroque commeamus, quod humanitatis opus est divinæ; nam qui vacillantes superioris intervallo oppugnationis videret, cum custodias contraxit, tum adhuc orthodoxiam differt pro impervestigabili justitiæ suæ judicio. Atque id sic quidem. Ego vero, qui leviter despectarem, paucos credebam ob Dominum vexatos, nunc cerneus quotidie, ut sic dicam, quot adventent fratres, pene juvenesco, posteaquam tot sunt qui Bahali haudquaquam genu flexere, quin Domino ceu lucidas se stellas conservarunt, quacunque ejus dominium patet, ut ætas hæc habeat quoque quod ad posteros gloriatur, vere inesse in nobis Deum. Nec deperdidit Ecclesia robur, ut verax Domini fert promissum, quin ei illisi ab ævo cunctis cum spumæ instar marinæ sunt dissoluti, tum ea, ut irrupta cautes, in eadem fide, ac confessione permanet, itaque gaudere in eo, et exultare debemus, ac Pol vigilare, et advertere procincti, ne fors iterum repente ingruat tentatio. Scilicet non hoc agitur, ut semel, bisve, aut sæpius pericitemur; sed ad extremum tuenda confessio est, nec qui ferantur extimescendi rumores, aut flagra metuenda, quæ lacerare corpus videantur, aut quæ carnem compedes premant, aut alia quævis humana noxia, quin solus terribilis Deus habendus, cujus omnia nuda labefactentur, solæque pavendæ pœnæ immortales, quarum infanda experientia est; ceterum quæ in manibus sint seu adversa, seu prælata, somniorum simillima, celerrime expirant, siquidem scriptum est, *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*<sup>70</sup>. Adhæc depugnandum quoque est cum persecutore, qui obtutum fugiens oculorum, in dies nos lacessit, ac non sensibilibus loris,

sed inaspectabilibus cogitatis ferire haud supersedet, atque incendere, non igni cum materie permixto, sed pravis desideriis, cæterisque vitiis animos tentat et oppugnat. Igitur *state succincti lumbos vestros in veritate, ut est in Litteris, et induiti lorica justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est Verbum Dei*<sup>71</sup>. Quæ nos nauci quoque præcepta apostolica locuti, pariter cohortamur in ærumnis minime defetisci, aut in tentationibus vacillare, scientes qui amplius tentetur, ei amplioris coronæ occasionem quæri. Vires quidem præbeat Deus; nam potest sane quæ promisit exsequi, ac nos confirmare, qui non flagra solum, quin ignem, gladium, bestias aliaque cuncta patiamur, quod Apostolus præfidens scribit in hæc verba: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos*<sup>72</sup>; et, *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*<sup>73</sup>. Equidem sic affecti martyrium in dies vel ante martyrium, jugeque certamen vel ante certamen obeamus, partem cum martyribus habituri per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXXVII.

*Ne possessiones paremus, neu solitarii degamus.*

Fratres Patresque, summum beneficium nobis tribuit Deus pro se oppugnationem, quemadmodum in Evangeliiis ait, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*<sup>74</sup>, etsi videndum est nobis, ne vitam obeuntes beatitudine indignam oppugnationem in pœnam habeamus. Igitur necesse est in primis qui oppugnetur minime solitarium degere, quin cum altero fratre convivere, siquidem, *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*<sup>75</sup>, inquit Dominus. Deinde non nisi necessario prodire, sed quo in loco diversetur manere, inibique operari dare precibus, supplicio, lectioni, psalmodiæ, opificio reliquisque studiis præclaris, aspectum fugere muliebrem, ab omni fratre inmodeste se gerente abstinere, lætitiæ gratulationem agitare, in spem arrectum [animum], et præsentibus contentum, pro Christoque subeundis suppliciis paratum; ubi est enim oppugnatio, consequuntur et supplicia. Quibus sic se habentibus, ubi sunt qui solitarii degunt, ac vœ eriscuntur? nam *Vœ soli, ait, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*<sup>76</sup>. Ubi sunt qui servos tenent, et monachorum libertatem amittunt; qui agros, vineas, boves, mulos mercantur, ac lepram contrahunt Giezis? hinc argenti, hinc lucri studium,

<sup>69</sup> Galat. vi, 8. <sup>70</sup> Psal. lxxiii, 8. <sup>71</sup> Ephes. vi, 14, 15. <sup>72</sup> Rom. viii, 37. <sup>73</sup> ibid. 39. <sup>74</sup> Matth. v, 10. <sup>75</sup> Matth. xviii, 20. <sup>76</sup> Eccle. iv, 10.



hinc stabilitas, fraternique convictus detrectatio, et singularis, atque ex sua cujusque libidine vita; hinc vestra causa ab exteris gentibus Dei nomen contumeliis laceratur, ut Litteræ loquuntur; hinc animi lapsus existunt, qui enim potest non labi projecte vivens: *Nescitis, inquit Apostolus, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* <sup>77</sup>; rursumque: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* <sup>78</sup>. Atque hæc iis dicta sunt qui communi vita teneantur, at non idem nobis, sed quid? *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis* <sup>79</sup>, et: *Vos non estis ex hoc mundo* <sup>80</sup>, et: *Vestra conversatio est in cælis* <sup>81</sup>. Ita que quid beatitudinem perdimus porro? quid confessionis generositatem conspurcamus? quid ni fratres imitamur probe viventes, quorum illustris vita est, lausque ab Deo, ac hominibus? Non et nos tandem destertemus? non resipiscemus? non salutis curam agemus? non obitus diem præ oculis sumemus? Quo pacto ad Christi tribunal sistemur? ecquam reddemus rationem, qui otiosi pœnas verbuli daturi, in majoribus, ac prægravibus vincamur? Verum destertamus, vel serius, fratres, resipiscamus, vitia profligemus, tenebrarum opera deponamus, armaque lucis induamus, animos omni custodia tuentes, undiquaque Deo placentes, quo sic incolumes perennium hereditatem honorum ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO LXXXVIII.

#### *De mortis recordatione.*

Fratres Patresque, quod animo tantum, tanquam utile bonum est, ac mortis recordatio? de qua et disserere invitor ab Clææ episcopo defuncto, quem vos morientem minime vidistis, nos, qui viderimus, oppido et fructum, et stimulos quosdam sensimus, quæ in eo gererentur in nobis contemplati. Ergo excessit ille, ac discessit, ceu qui tabernaculum fabricatus destruit, in hanc vitam minime rediturus; non ei cælum utile deinceps, non terra, non mare, non sol, non luna, non stellæ, non hunc porro aerem ducet, non gutture clamabit, non oculis cernet, non auribus inaudiet, non naribus odorabitur, non manibus attrectabit, non pedibus ambulabit, non aliud, parvum magnumve, cum hac vita conjunctum exsequetur, quæ quidem ei sit præclusa, ac remunerationis maneat iudicium: nam equidem nobis remuneratio insuper reposita

est, quemadmodum scriptum est, *Ethi omnes, testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur* <sup>82</sup>. Ecquid nos igitur, fratres? quid aliud, nisi quod idem subibimus? Non æque moriemur? non æque in terram revertemur, unde assumpti sumus? non æque pulvis cinisque fitemus? Inspectemus monumenta, videamus in quid vitæ desinat status. Quid ærumnosum hoc amplectimur corpus, quod post paulo terræ ac vermibus tradetur? quid vitiis involvimur, quibus sub obitum occurremus? Sane hic adhuc spirans duos sibi dicebat apparere virum et feminam, hanc statura sublimem, illum brevem et gibbosum, qui se coargueret ac crudelibus verbis acciperet; quapropter et ingemebat, plorabundus, obitumque detrectans, ac prætrepidus. Non videtis cujusmodi sententia sit mortis? non aspicitis ut ante mortem quoque actores, et accusatores dæmones habeamus? Etenim sic habet, quæ hic obita amplectamur cogitata, ea et in decessu spectabimus. Igitur si *providemus Dominum in conspectu nostro semper* <sup>83</sup>, ut Litteræ loquuntur, si custodem vitæ angelum revolvimus, si hos illosque sanctos contemplamur, eosdem videbinus quoque supremum spirantes; sin haud ita, sed vitiosos contra characteres, ac diabolicas mentis deformationes cogitamus, iisdem occurremus, id quod est miserandum et capitale. Quamobrem contendamus haud deprendi in iis simulacris, quin animi sub obitum puri reperiri, quo cum fiducia dicamus nos quoque, *In pace in id ipsum dormiam, et consopiar* <sup>84</sup>: sopor est enim mors probo, quemadmodum et Dominus inquit, *Lazarus amicus noster consopitus est, sed vado ut a somno excitem eum* <sup>85</sup>. Sin sopor est, nimirum causa est requietis, et auspicandæ perennis occasio vitæ, ut ait sacer Apostolus: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium factus; ac rursum: Absorpta est mors in victoria; ubi est, mors, stimulus tuus? ubi est, Orce, victoria tua? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratiæ qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* <sup>86</sup>. En absorpta mors est, en victoria data, siquidem confirmat: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei* (20) <sup>87</sup>. En apertum est cœlestis stadium regni, en ter felix propositum certamen, victori corona, ac vitæ delictum; itaque vincamus et nos, fratres, diabolum, vitia proculcemus, omnino a flagitiis expurgemur; virtutes comparemus, quo et inquilini fiamus paradisi, et vitali arbore fruamur, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

<sup>77</sup> I Cor. iii, 17. <sup>78</sup> I Cor. vi 17. <sup>79</sup> Galat. v, 24. <sup>80</sup> Joan. xiii, 11. <sup>81</sup> Philipp. iii, 20. <sup>82</sup> Hebr. xi, 59. <sup>83</sup> Psal. xv, 8. <sup>84</sup> Psal. iv, 9. <sup>85</sup> Joan. xi, 11. <sup>86</sup> I Cor. xv, 55 seqq. <sup>87</sup> Apoc. ii, 7.

(20) Τοῦ Θεοῦ μού est in Vat. a nostra lectione est textus, ab illa, vet. int. Latinus.



## SERMO LXXXIX.

*Omni studio et alacritate salutem moliendam.*

Fratres Patresque, sua cuique tempestivitas rei est, uti postulat scriptum; at saluti moliendæ perpes, et assidua; nam Apostoli hæc sententia est, *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*<sup>88</sup>. Enimvero tribus his functionibus salus nostra describitur, siquidem semper gaudere probitatem conciliet, sine intermissione orare diabolo in nos locum haud permittat, in omnibus gratias agere evidens sit amoris indicium divini. Igitur utrinque exacti, Deo placeamus, animum minime despondentes, neu socordia dissoluti in ministeriis, et opificiis, ac psalmodiis, quin cum omni lenitate cuncta obeuntes, ut eximii multiplicis B divina gratiæ œconomi. Non milites videmus, ut regem alacres comitentur? et quonam vero? in bellum, homicidia, necesse. Ac nihilominus ob præsentem gloriam, et opes fluxas, prompti in omnia ruunt, nos qui ad cœleste regnum, vitam sempiternam, ineffabilem lætitiã vocemur, segnes ac præfractos, non alacres nos, et excitos Deo præbeamus, ceu egregios Christi milites? Legite quem manu teneo librum; videte, inquam, ac cognoscite in eo Patrum virtutes, quæ in iis alacritas, qui spiritus fervor, quæ certamina; tum autem quemadmodum cohonestati sint eapropter a clemente Deo quasi quidam dii comparati, pro miraculis, et quæ edidere, prodigiis. Illic præfulsere non solum C qui ab origine formosi vitium nescivere, sed etiam qui proturbati in fœda facinora cecidere, pulcherrima usi pœnitentia, ut socordiam prætextus, aut contemptus nemini sit relictus, nisi quis plumbeus sane est, expersque sensus, quem Apostolus affatur in hæc verba, *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*<sup>89</sup>. An divitiã bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diem iræ, et revelationis, et justii judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus<sup>90</sup>? Videsis, contemptor, ac minas extimesce, atque e contemptus exsurge somno, siquidem et mors imminet repente. En et D Candidus frater pie decessit et prævit, alter et alius consequetur, nec manet indidem quisquam, cunctique obibimus. Equidem felicem qui probe pervixerit, nam Pol merces coemit immortales, ac quæstum fecit sempiternum, alacritate atque diligentia paratis quæ prima et præcipua sint. Ac postea quam celebritas adhuc obitur, prostatque cœlestis regni mercatus, agite, cohortor, fratres Patresque, vigilemus omnes, atque excubemus, diaque et immortalia mercemur, quo cum fratribus cunctis cœleste regnum exerciscamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et im-

A perium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO XC.

*Faciendum non esse ut diabolo fores pandamus admittendis pravis cogitatis.*

Fratres Patresque, equidem vobis haud citra laborem pauca hæc, nibilique dissero verba, sed quoniam, ut fert Apostoli dictum, munus præfecti est laborare in verbo, et doctrina, communi bono necessarium, exiguum eum laborem lætus suscipio, siquidem et pastor cum laborat grege pascendo, tum mercedis spe lætatur, id est summi pastoris demerito. Nec Pol frugi alienus sermo est, quantumvis forsitan credunt nonnulli sermocinationem prodesse nihil; qui enim potest non fructum facere tam qui inaudiat prompte, qui quidem sit pro virtutis studio coronandus, quam negligens, cui pudorem boni neglectus afferat? Verum, cohortor, et prompti insuper promptitudine certemus, et negligentes consurgamus; nam tempus est acceptum, tempusque salutis, quod si perdimus, inveniemus nunquam.

Igitur nec dies segniter deinceps, ac negligenter transito, quin perennes cogamus opes, supplicia, preces, alloquia, gratulationem, lacrymas, stimulos, collustrationem, bonestas contemplationes, neu ex ingenio nostro æstimemus alienum, quin suam quemque salutem in abdito moliri arbitremur, utcunque foris alius appareat. Annon Patrum memoria permulti, qui nihil esse viderentur, iis qui aliquid viderentur illustrius fulsere? postquam et nostra ætate, et in hac republica nostra, id est exemplis probatum, multique ex ignobilibus ac contemptis splenduerunt, maxime in confessione Christiana. Unde id, sodes? meo iudicio, non tam ex opera et industria propatula, quam intestino quodam statu. Ubi est enim constitutio pacata, puritasque mentis, et mansuetudo, ac tranquillitas, ibi virtutis finitio est, indidemque aspicit Deus, quemadmodum scriptum est, *Ad quem respectem nisi ad mansuetum, ac tranquillum, et trementem sermones meos*<sup>91</sup>? Ut danda opera sit cuique purum se a conscientia præstare Deo, neu diabolo fores pandere, admittendis pravis cogitatis; nam simul admittimus, quid patiamur tenetis, qui efframur, atque immutamus, et amaritiam carpimus, non voluptatem; contraque cum resipiscimus qui peccati, ac sereni, melle suavius degimus, velut in portu siti. Valdeque mirum est, virtute dulci comparata, et amabili, atque expetenda, vitio amaro ac lethali, diroque, quid hoc (malum) capiamur, ac non potius ad perfectionis habitum diffingamur. Etsi sic autem plerumque vincimur pro imbecilli natura, et qui a pueris impendio ad mala ingenis incumbamus, at ne tædeat certe ad frugem nos recipere; ac videns Deus labores, pro nobis propugnabit; belloque lacessitos æternis præmiis donabit,

<sup>88</sup> I Thess. v, 16. <sup>89</sup> Ephes. v, 14. <sup>90</sup> Rom. 11, 10. <sup>91</sup> Isa. LXVI, 2.



et ærumnis defunctos probitatis corona obligabit, A sanctis accensos, ac suoapte regno affectos. Quem gloria decet, et honor atque cultus cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XCI.

*De alacriter obluctando in scelestorum conflictu dæmonum.*

Fratres Patresque, adhuc sermocinamur quor- sum ac quo evadent quæ feruntur, nec mirum, nam in iis rumoribus sermocinari mens assolet. Verum, si videtur, crebra sermocinatione dimissa, nobiscum ipsi vacemus, ad conflictum, qui in nos imperspicue conflatur noctu, et interdium, intenti, ne, corporalem spectantes, in animo vulneremur. Ecqui sunt autem perduelles? scelesti dæmones, B nequam spiritus, mundi potentes tenebrosi hujus sæculi, quorum immensæ copię, atque in nos implacabilis ferocia. Quanquam ne timeamus, neu consternemur, habemus nos quoque socium ac propugnatorem, sanctum Spiritum, Dominumque nostrum Jesum Christum, qui miseris morbisque nostris susceptis atque sublatis, tentationes per- pessus, tentatis succurrere potest. Quem et incla- memus cum fiducia, *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scu- tum, et exsurge in adjutorium mihi. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me* <sup>92</sup>. Nam equidem nos persequuntur hostes, ac necem sitiunt, instructis secundum semitam noxis, cun- C etisque dolis tentantes in peccati scrobem nos im- pellere. Enimvero ceu milites nos quoque inste- mus vicissim quasi quodam fidei et amoris thorace, ac velut galea spe induti salutis quippe iis armis bellum profligatur. Jam illud mirum, positas ipso in bello coronas, in corporali certe, ni luctatus adversarium prosternas, haud quaquam coronare, hic si haud prosternare ab adversario, coronam sis indeptus. Evidens id est ex eo quod sanctorum Patrum cuidam revelatum est de discipulo, qui oppugnatus septies abire absque comœatu, totidem patientia coronas quæsisisset, quamobrem si in bellis positæ sunt coronæ, leniter cohortor, bellum patiamur, haud diuturnitate pugnæ præfracti. Non beata Sara per annos quadraginta acriter ab adul- D tero oppugnata dæmone est, nec obtorpuit tamen? non eodem modo et quidem e subditis oppugnatus, ac rogatus a præfecto, vellet ne deoraret Deum quo bellum a se removeret, animum non induxit? vi- debat enim positas in bello victorias. Cui extin- guendo bello nihil tam prævalidum ac preces, la- crymæ, contritio cordis: igitur ut invaserit hostis, aut etiam vulnus præ negligentia dederit, immisso in animum libidinis telo, illicit precibus utamur, et a nobis aufugiet; lacrymemur, ac carbo extinctus sit erroris submissee nos geramus, et nos Deus ex- tollet. Ac felicem sane qui se urget in dies in opere divino, qui obedientiæ molestias perfert; nam

certamen obedientia maximum est qui castitatem incorruptam tuetur, ne is ad prælii finem deve- niens cum omni alacritate, et ineffabili voluptate hinc abscedet, nihil sollicitus de auditione mala, uti concinit sanctus David. Non triumphatores videmus hilares, ac prælatos domum reverti conflictus, et victoriæ signa ostendentes? idem in eo cogitemus, qui inaspectabili bello perfunctus præclarum certa- men decertavit, ut in urbe vægrandi conspieuus apparebit, cujus opifex, atque architectus Deus est plausu exceptus angelorum, auctusque divinitus coroua, ac quietem sortitus sempiternam ad quam nos quoque venire mereamur Domini nostri Jesu Christi beneficio: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in om- nemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO XCII.

*Titubandum non esse in diuturnitate discriminum, quin referendam ad Deum rationem.*

Fratres Patresque, equidem studium nostrum, et ad Deum preces ad pacem Christianæ pertinent Ecclesiæ: nam quid utilius pace ad quietam ac tranquillam obeundam in nostris monasteriis vi- tam? Quanquam haud par credere est expedire id omnino, sciendumque, quo diuturnius sit discrimen hoc majoris explorationis causam præberi. Ergo ait Apostolus: *Placeo mihi in [infirmis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmior, tunc potens sum* <sup>93</sup>, quamobrem quousque, et quandiu dimissis, referamus ad Deum rationem, qui utiliter plane temporum spatia dispensat. Audi Litteras dicentes, *Tentavit Deus Abraham* <sup>94</sup>. Ecquid leviter, sodes? nequaquam, quin et compluribus annis, et tenta- tionibus multis, tandemque absoluta fide comper- tum alloquitur in hæc verba: *Nunc cognovi quod timeas Deum, et non pepercisti filio tuo charissimo pro- pter me* <sup>95</sup>. Tentavit et Jobum tum majoribus certa- minibus, tum annis permultis; ac cernens denique tolerantia perfectum, in hanc sententiam compel- lat. *Ne me aliter existima hæc in te exempla sta- tuisse, quam ut probus appareres* <sup>96</sup>. Ad eundem modum cæteros vates, sanctosque apostolos, ac beatos martyres, et pios omnes atque probos, fre- D quentibus miseris, ac quamplurimis annis explo- ratos multatosque, ascivit denique, ut de nobis idem sit cogitandum. Nondum, ad cruorem resti- timus cum peccato confligentes, nondum sat in- canduimus ærumnis, nondum fidei explorationem sinceram præbuimus, hæc nimirum spatii causa est. Et alioquin cum plerique resipuisse, lapsi viderentur, quanquam haud animo recto, quin fictæ, ac qui foro uterentur, eos qui sint tempestas probat, cujusmodi sunt Heracleotes atque Catha- rinus, qui monasteriorum cupidine suorum, seu, ut verius dicam, studio rerum quæ occidant, et in- tereant, rursus ad imperatores defluxere. De qui- bus merito hoc usurpes: *Utinam frigidus esses,*

<sup>92</sup> Psal. xxxiv, 3. <sup>93</sup> II Cor. xii, 10. <sup>94</sup> Gen. xxii, 1. <sup>95</sup> ibid. 12. <sup>96</sup> Job xl, 1 seqq.



aut calidus; sed quia tepidus es, et nec calidus, nec frigidus, evomam te ex ore meo <sup>97</sup>. Equidem nec laudaverim, qui confessione peracta, non se abstinere quin de monasteriis suis curarent, quasi quidam bifrontes, nostræque factionis, et hæreticæ? nostræ ob confessionem, hæreticæ ob monasteriorum retentionem; pacem amplexi ante pacem, ac periculis quantum in se foret, defuncti ante orthodoxiam, adhuc petitur Christus, et se in monasteria recipere; adhuc diris sancti obligantur, ac se obnoxios hæreticis præbuere, cum vel lapides oporteret conclamare, et contestari pericula ipsaque contumeliam Christi lugere, ac deplorare ligna. Scilicet qui monasterium tenet inibive residet? qui dicere queat capite se ac fortunis peti? qui pacem flagitet præ pace qua perfruatur? Sed hæc diaboli sunt artes, quo cum inanem confessionem reddat, tum Christianam elevet persecutionem, cunctosque, ut videtur, inquent.

Quanquam minime id evaluit, Christi beneficio; nam extorres degunt complures, qui confessionem obeunt accurate, nec clari ab initio solum, sed usi pœnitentia quoque, qui quidem pulsati obnoxio monasteriis, ærumnosam cœpere vitam, quorum in numero et nos nihili simus, qui religione juxta ac vita constantes, et inconcussi pacem agitemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Quæ si inest in nobis, nec si terrarum orbis æstuet, fraudem contrahamus, Christo pro nobis propugnante. Cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XCIII.

*De iis qui corporis inescati voluptatibus per pœnitentiam se ad frugem recipere.*

Fratres Patresque, nullum est impedimentum servari satagenti, nec deficiens prætextus quo minus vel ad scelerum metam provectus respiscat. Ac veram esse eam sententiam cum multa sunt exempla, tum unum e multis in Davide latronum duce, quod præparatoria legimus, siquidem ostendit sermo et qui erat ante, sicarius, ac facinorum plenus, et quemadmodum conversus, Deoque conjunctus per habitum monasticum, tam evaserit probus, ut vel occupatos diabolo persanaret; nam ait ad eum Genius: David, David, scelerum tibi Deus veniam fecit, erisque jam hinc qui prodigia patres. In quo ingens est humanitas divina, non cædibus ei tantum condonatis, sed signifero quoque eo instituto. Vin' et alterum videre? eccum Manassem, qui, Israele annis duobus ac quinquaginta in animis colendis simulacris seducto, facti pœnitens sincere, cum donatus salute est, tum carmen concinuit Deo, quod hodieque canit Ecclesia Dei. Nam quod attinet ad eos qui inescati corporis amore se ad frugem recipere, quod sint, quamque numerosi,

<sup>97</sup> Apoc. iii, 16. <sup>98</sup> Matth. xvi, 24.

(21) ὀλιψίς est in Vat. quo est, ærumna, pro ἀολύσις, quod placet.

nec recenseam, in quibus est et dius David, post adulterium cædemque, vaticino recepto munere. Maria certe Ægyptiaca ab inexpletis nequitiis ad angelicum genus profuga vitæ, emeruit et præsaugitionem, ut nulla ratione cuique sit prætextus relictus, quin per pœnitentiam ad salutem denuo recurrat. Quibus exemplis alacriores nos quoque, optima speremus, credamusque si illapsos in profundum vitiorum incredibili Deus misericordia revocavit, ac restituit, nos quidem sane servaturum qui se urgeamus dies noctesque. Ac nemo hic frugem audiens nocentis, dicito, Hiccine ut his suaviter usus perfruatur et illis? mihi credite, neque his, neque illis qui peccato sit obstrictus suaviter utatur, nam quæ (malum) suavitas est adulterare, nepotari, opibus inibiare, peculiari, cæterisque vitiis teneri? non ii mentem gerunt foedis libidinibus ardentem, quasi qui febribus laborent? Ut hæc verior sit oratio, tum hic eos puniri, tum in futuro sæculo æternum puniendos; et voluptates perditas ac pestiferas amplexis ingemendum sit; illacrymandum, non suaviter gaudere sotes, atque impudici credendi; cæterum qui virtutem præferat, in eaque vivat, ne is utraque lucretur, ac jugi arcana voluptate pro innocentia fruatur, quemadmodum sancti, in Deo assidue gaudentes, cunctaque studio divino posthabentes. Quos imitati et nos fratres, lætemur, et invicem gratulemur, saluti, exercitationi, tolerantia, morigerationi frangendæ voluntati, (id quod martyrismus est) cæteris studiis, ac certaminibus inhærentes, quo his absolutis perennem vitam eriscamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XCIV.

*De iis quæ molesta in vita cœnobiaca credantur, ac sint prielata, ob spem in cœlis repositam.*

Fratres Patresque, enimvero arctam esse et afflictam monasticam vitam ex hac Dominica sententia liquet: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me <sup>98</sup>. Jam mundanorum quoque oppido acerbam spectacula clamant. Nec de omnibus loquor, (nam quis amplifiet quæ gerantur singula dicendo,) quin e bello dilapsos, si videtur, contemblemur modo, non amissis quæ tenebant universis, nudi propemodum e Barbarorum fugere manu? non partim habitui ignominiose sunt, et in exilium missi, ac pol primores, partim dignitate moti, partim huc, illuc dispersi tremunt, et inhorrent præ iis quæ mox patientur? Criminique datur quod in acie non mansere, ac perire; etenim tantum ab iis studium et obsequium flagitatur, ut vel corpus animamque negligant, si sit necesse in gratiam principis. Cæterum nostra cum sanctus Spiritus lætitia conjuncta (21) pugna est, ut præliatum sit quod acerbum videatur, ob



spem in cœlis repositam. Ergo haud suffundimur A pudore, qui, gloriolæ his, ac præmioli causa tot tantaque subeuntibus, contraque jubentes mutire audientibus, pro tam maximis et cœlestibus, nec tantillam ærumnam leniter feramus? Quænam est autem ærumna? quod præter voluntatem forsân ministerium jussum, cibus, potus, vestitus, calceamenta, locus, modusque obedientiæ, aliud quid ejusmodi mentem conturbans. Hæc enim vero ut sunt molesta, non adeo tamen, ut ab officio dimoveant, siquidem haud sunt pares hujus temporis miseræ ad eam gloriam quæ in nos exhibenda est. Pro quibus si vel amburamur quotidie pati, sit necesse, nedum ut tam levibus de causis ac tolerabilibus ringamur. Atque hæc minime disserui quo contristemur, quin amorem videamus, quo nos clemens persecutus Deus est, qui (22) communi vita sacerdos in hanc sacram professionem, cœlestemque conscripsit. Qui nec quæ exigit a nobis ad usum exigit suum, quandoquidem plenus est ter optimus, et nullius indigus, sed nostra ipsorum gratia, ut beneficium capiamus, ac servemur, itaque, fratres, omni dubitatione remota, per tolerantiam mentes incolumitemus, cunctam incidentem tentationem superantes, nullis victi cogitatis, quantumvis probandis nobis, et explorandis ingruere sinantur, vitamque nostram male habere, quo præfidentes cum Apostolo nos quoque dicere habeamus: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*<sup>99</sup>. Quo adhibendo studio, vitæque procincta, Deo complacentes, cœleste regnum ineamus per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XCV.

*De arcto, et angusto itinere, lætoque vitæ diversorio perennis.*

Fratres Patresque, qui longinquo ac salebroso itinere proficiscuntur, cum laborant, et viæ subeundis molestiis dolent, tum boni spe diversorii dolores perferunt, ac labores depellunt, alacriter D semper contenteque ulterius tendentes.

Quorsum hoc mihi exemplum? scilicet proficisci nos quoque in hac vita itinere quodam, ac pol arcto, et afflicto, atque longo, valdeque laborioso (quis enim negat?), siquidem necesse est virginitatem ac continentiam dum vivimus tueri, morigerationem atque obedientiam servare vividam, *consilia destruere et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi*<sup>1</sup>, ac quæ

his alia consecraria sunt pro monastica vita. Quamquam, hic quoque finis prælatum est. Quisquam, sodes? immortalitas, quam certissimus Deus se præstolatis præbere stipulatur. Quamobrem cuncta hic acerba ob immortalitatem, fratres gratulanter, atque patienter feramus, cohonestantes nostro in corpore, spirituque Deum. At qui cohonestetur Deus dicam unum in modum. Ante biduum nos laici huc venere speculatum, simulque sedentes conspicati, ac manibus alia purgantes, et ore Davidicos hymnos exsequentes, Deum laudarunt, gratulati, frugemque senserunt, atque hæc comprobata Dominica sententia est. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*<sup>2</sup>. En equidem cohonestatis vestro in corpore, spirituque Deum hæc in parte. At enim et cohonestetis insuper assidue omnem in modum, qui Deo digne obeatis. Ac quoniam mortales æmulatione plurimum ad agendum inducimur, *Neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fenem velociter arescent, et quemadmodum stera herbarum cito decident*<sup>3</sup>, quin proba, honestaque effringito. Sane hic quidem arti cuiquam dediti, non a pejoribus, sed egregiis, operis sui exemplar petere laborant, verbi gratia, faber ab artificiose fabricante, pictor ab erudite pingente, planeque rudes ac minus imbutos nemo, quin expertos et imbutos satagit imitari: hæc si in materiatis ac pereuntibus lex atque regula est, quanto hac in arte, et scientia magis, quæ artium et scientiarum summa est, nostram ad proborum exempla vitam componere debemus, non contrarios sequi. Ergo imitemur qui a pueris se ad senectam subditos gessere, non dico antiquitus sanctos quin nostro in contubernio illustres imitemur; qui simplicitate diaboli vafritiem solvere, et alacri obedientia præstanda, curriculum quoddam monasticum probe decucurrere; ac, si vultis, jubentem se imitemur, ut ipse Christum, rursumque edicentem: *Deum imitentur, sicut filii charissimi; et ambularent in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*<sup>4</sup>. Jam nostrapte causa Christus oblationem se Deo, et hostiam tradidit, ac nos nec tantillam ærumnam agendis gratis feramus? opprobriis petitus Christus est, pro hoc effato, *Impropria impropertium tibi ceciderunt super me*<sup>5</sup>, ac nos vel minimum impeti a quoquam, et insimulari negemus? scilicet sanctorum simus consortes, quorum vestigia minime sequamur? scilicet cum Christo regnemus, cujus neci non conformemur, nec societatem coeamus pœnarum? *Et si justus vix salvatur, impius et peccator ubi parebunt*<sup>6</sup>? Videte accuratationem, quemadmodum justus vix salvatur, ut nihil dicam probum esse non posse qui

<sup>99</sup> II Cor. iv, 10. <sup>1</sup> II Cor. x, 5. <sup>2</sup> Matth. v, 16. <sup>3</sup> Psal. xxxvi, 1. <sup>4</sup> Ephes. v, 2. <sup>5</sup> Psal. lxxviii, 20, 21.

(22) Κοινοβίον erat in nostro, sed emendaveram κοινὸν βίον, quod inveni in Vat.



impatiens sit, labori alienus, veteres offensas remiscens, indeque incensus ac concitatus, nec cum Deo agitans pacem. Igitur hæc designantes necesse est a conjunctione cœnobica revelli, atque hinc abductos incidere in iudicium perenne, Pol amens dicam quod sum dicturus, non subditum egi quoque? non præfectum habui? non œconomum? non spiritualem juxta ac carnalem patrem? non spirituales æque fratres, et carnales? inter quos velut in igni degebam, hinc inde petitus, contraque duas adversarias vitas depugnans. At servari, nisi tolerantia, nequibam, ac ni confiterer debite, mihi que crimina ascriberem semper, neque enim potest aliter in ærumnis animus pacari. Vos quidem estis qui estis, (nam vel id sufficit dictum) et docere me, ac corrigere tentatis, ceu rudem, et eorum quæ dicantur inscium, cum vel pueris sit evidens suggestionem vos diabolica cieri. Non sub potentem Dei manum succumbitis, in qua inest suavitas, ac voluptas, et securitas? Confiteri videmini nec confessio est quæ obeatur, quin comitium rixis aperitis, quasque prætorium tribunal, in animorum perniciem vestrorum, mexæque miseri dignitatis, et omnium qui audiant. Dolent, opinor, quæ retuli. Pol doletis, sat scio; at loquor sollicitus et ipse, atque ut causam pro quoque vestrum in die iudicii dicturus. Sed cum scriptum est: *Nunc tempus acceptabile, nunc dies est salutis*<sup>7</sup>, malignitate ex animis sublata, benefacere discamus, puerosque nos beneficio præbeamus, priusquam Domini dies terribilis et illustris appetat, in quo vel otiosi rationem verbuli reddemus, ut quanta optima potest conscientia hinc profecti, habeamus qui perennem vitam nauiscamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XCVI.

*De fratris Carterii secessione, deque pace, ac concordie doctrina.*

Fratres Patresque, equidem crebro ad vos disserens haud necessario disserere videbar, ceu qui jam perfecti essetis in officio, nec moneri opus haberetis; nunc, ut video, vel in primis necessario, postquam et me sic disserente, minime cessat in plerisque vestrum inquires, ac seditio moveri in quo et demiror quemadmodum qui doctores agere pro tempore deberent, adhuc puerescant, stolidi, et amentes nequaquam. Enimvero causa est defecta charitas: nam si ex Apostoli sententia: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflat, non indecore se gerit, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*<sup>8</sup>, nimirum hac absente oriuntur contraria vicissim, incredulitas, secessio, pertinacia, spes,

atque tolerantia nulla. In his positi, qui Dominici discipuli vocemur? ipso clamante, ac dicente: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si charitatem habueritis ad invicem*<sup>9</sup>; et alibi rursum, *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*<sup>10</sup>, igitur charitatem, ac veritatem non habentes, quin inimicitias, pugnas, dissidia, non Christo erudimur, sed Christi inimico, quantumvis acerba est oratio. Jam quo vivimus miselli, quo aerem ducimus, haud obeuntes quæ grata et accepta Deo? quem fructum Carterius fecit, segressus a nobis, atque in aliud consortium profectus? Sane cum noxium est, et improbum prorsus, ex alio in aliud consortium migrare; tum id citra præfectum committere, qua non suspitione dignus est? maxime accusato eo, et damnato, atque reprehenso. Quas ob res, ut videtur, qui id a nobis adjumentum, suæque secretum conscientie minime concoqueret, missionem poposcit, ac pol imbecillitate hominis inductus, ne majori tristitia obrueretur, in gravius malum illapsus, fecit comiteus gratiam. Demum deprensus est, frustra, ac nequidquam hunc, et illum causatus, abitus prætextus coegisse, atque hinc vobis dedisse turbas, equidem, *Qui vos conturbat iudicium portabit, quicumque est ille*<sup>11</sup>, quemadmodum scriptum est. Porro ubi quis responsare cœperit, sic habeto, agi illicet perniciem, qui si æqualibus responsat, habet fortasse quo animo satisfaciat? sin majoribus, iudicium est dissidii, et interitus ejus qui responset. Quamobrem, fratres, si is inconsulte ac noxie fecit, vos quidem certe consulte atque probe agitote, pacem amplexi cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua Deum contuebitur nullus solliciti ne quis divine gratie sit exsors, ne qua acerbitalis radix sobolescens negotium facessat, qua frequentes polluantur. Quid hoc verbi est? uti probum quemdam zelum ostendatis innocentes, malignitatem exosi, et aversati, non hostes ducatis, quin ut fratres, moneatis, Apostoli commendatione digni, cujus alicubi hæc sunt verba: *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio*<sup>12</sup>. Sane hæc, fratres, non insultans equidem, ac vos lacessens sermocinor, quin amice parceque exemplum super filiis Heli reformidans, tum propter me, tum propter vos ipsos, sin arbitramini secus, jamjam apparent dies, cum hæc vobis lingua subtrahetur, ac tum scietis quæ nauci hic ego dicebam fuisse vera. Cæterum pacis Deus, qui cunctos vult sospitari, et in notitiam venire veritatis, tum revulsum a nobis velut ovem, haud permittat sub os animivori cadere Draconis, tum vos, eximios suos agnos in præceptorum caula tueatur, quæ accepta ei sint agentes per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

<sup>6</sup> I Pet. iv, 18. <sup>7</sup> II Cor. vi, 2. <sup>8</sup> II Cor. xiii, 7. <sup>9</sup> Joan. xiii, 35. <sup>10</sup> Joan. viii, 32. <sup>11</sup> Galat. v, 10. <sup>12</sup> II Cor. vii, 11.



## SERMO XCVII.

*Declinandos esse qui suppliciiis multati rursus sectariis accessere.*

Fratres Patresque, iterum concitatum est bellum, ut aiunt, ac pol intestinum, quo quid acerbius, trucidare invicem Christianos? ergo orandus nobis assidue Deus est, ut subditi quiescant, tam quod ad regnum attinet mundanum, quam quod ad fidem, ob quam hic consideramus. At considerentes haud par considerare est obiter projecteque, quin caute in primis, et circumspecte, ne aliis prædicantes ipsi improbi simus, quod ob eos diximus, qui suppliciiis multati, rursus sectariis accessere. Quorum missilia nuper refugimus accipere, ut noxia conjunctaque cum animi periculo, qua re cognita quidam inter nos Patres indignati, ceu hinc turbis accensis. Nos enim vero turbas accendi deprecamur, nec possumus tamen, utut conturbentur nonnulli, de veritate quidquam remittere, ac confessionem polluere Christianam, conspiracy criminis veriti, uno dicente Vatum: *Sacra profanis non discernabant, sed erant eis omnia polluta*<sup>13</sup>? Necnon Apostolo: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? quæ pars fidei cum infidei? qui consensus templo Dei cum idolis*<sup>14</sup>? Ac rursus, *Subtrahere vos ab omni fratre ambulante inordinate; et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis*<sup>15</sup>, et iterum: *Si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*<sup>16</sup>. Igitur cuncta hæc mentem conterrent, ac distinent, eaque gratiam quamvis potius miseriam et ærumnam perferre animum induimus, quam præsidium ac salutem prodere. Equidem cum scriptum sit: *Sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*<sup>17</sup>, vosque membra sitis germana, atque intestina nostra viscera, non potui quin edicerem præsentia, quo sciretis, et scientes condoleretis, ac quæ hinc eventura sint videretis, siquidem ait: *Virtute fungens expecta ob eam tentationes*<sup>18</sup>. Jam per vos ipsi judicate, obsecro, quod dixi æquum sit ob veritatem monasteriis pulsos, eademque prodenda monasteria retinentes, pares cernere, et consortes putare. Ego et nequidquam pulsus sum extorres, et pro his olim nequidquam propugnavi, atque impostores adeo deprehendimur, aliis, sic aliis alter loquentes, ac jure ingement nobis qui confessionem obeant accurate, si accessisse iis videbunt qui noxam in Dei Ecclesiam compararunt. Quin absit vero ut accedamus, et in nos insuper exitium consemus. Pol jampridem quatenus tempus postulabat indulsumus, nec injuria, nunc urgendum ædificium sit, nec retractandum; nam: *Quod si subtraxerit se, inquit, non placebit animæ meæ*<sup>19</sup>, et: *Vos non estis*

*A subtractionis, filii in perditionem, sed fidei, in acquisitionem animæ*<sup>20</sup>. Viden' ut retractationem nominet, ad perniciem? Itaque hæc ejusdem Apostoli sententia est, *Mundus sum a sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*<sup>21</sup>. Quamobrem nos quoque apostolica doctrina, ac sanctorum adeo Patrum subnixi, qui eadem et ipsi cum apostolo loquuntur, ab hæretica consuetudine eorumque qui mutato consilio his accessere, abstinentes, confessionem accuratam tueamur, in qua stamus, ac divinæ spe gloriæ triumphamus, cæterisque cunctis functionibus ceu adamussim poliamur, quo perfecti, integrique simus, nulla in re defecti. Ac Dei pax, quæ omnem superat mentem, animos sensaque nostra custodiat per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO XCVIII.

*De obsequendo præfecto, gratanterque ferendo obedientiæ certamine.*

Fratres Patresque, equidem in vobis gaudeo, qui in omnibus morem geratis, ac nihili meis verbis obsequamini seu afflicti, seu hilarati, seu reprehensi, seu collaudati, etsi haudquaquam id est a vobis, quin Dei munus est, et obedientiæ veræ, minimeque fucatae argumentum, quæ ingens habet præmium, ac mercedem certaminis, quemadmodum sancti Patres edixere. Sin certamen est, habet nimirum pugnas, et conflictus, postquam martyr citra supplicium nemo est, nec laureatus qui non legitimum certamen confecerit, quamobrem nos quoque haud defetiscamur quodam quasi martyrio perfungi conscientiæ, læte universa ferentes objurgationes ceu flagra, voluntatum coercionem ceu obtruncationem, cogitationum impetus, ceu accensas a diabolo pyras. Non restinguitur ignis nisi aqua suffusa, nec scædæ libidinis flamma, nisi lacrymis affusis; haud curatur labor nisi restauratione quietis, nec mens gravata cogitatis nisi ex oneratione, quam confessio præstet. Apertaque sunt remedia salutis, et hactenus etiam atque etiam in Domino valetis, *si quis autem vestrum indiget sapientia*<sup>22</sup>, ut Dei germanus vociferatur, *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans; qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino, quia vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*<sup>23</sup>, quapropter ne ambigamus, neu precibus agitandis dubitemus; quin gratulati, ac cum fiducia sincera Deum votis flagitemus, et consequemur sine dubitatione petita, atque insolens exstinguetur ignis, cognitaque diffugient inimica ac Deo duce propositum obedientiæ

<sup>13</sup> Ezech. xxii, 26. <sup>14</sup> II Cor. vi, 16. <sup>15</sup> II Thess. iii, 6. <sup>16</sup> I Cor. v, 11. <sup>17</sup> I Cor. xii, 26. <sup>18</sup> I Cor. xi, 35. <sup>19</sup> Hebr. x, 38. <sup>20</sup> ibid. 39. <sup>21</sup> Act. xx, 27. <sup>22</sup> Jacob. i, 5. <sup>23</sup> ibid. 8.



martyrium peragetur. Cæterum vos, fratres, scire velim oculos nostros non nimium abundare stipe, quin erogari, non augescere, nunc præsertim cum defecit et vinum, qua re imbecilliores percellimini, sentio. Verum confidite, propere adjumentum attulit Deus, pro frumenti copia vinique, ac quæ alia fert necessitas necnon afferat et insuper, si ei toti incumbamus, quæ placeant agentes, nec de fiducia demoti, quæ ex eo suppeditet, qui quidem dixerit: *Non te deseram, neque relinquam*<sup>24</sup>; ac rursus: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis*<sup>25</sup>. Quæ si destituant plerumque, nihil mirum, quin exploratio, ac periculum est virtutis. Non probus erat Jacobus patriarcha? at fame interim pressus, majores nostros in Ægyptum ablegavit frumenta coemptum. Non probus Elias vates? qui nihilominus Sareptam in Sidonem concessit, pone viduam clamans: *Sume sis mihi aquæ paucillum in capedinem, bibituro frustumque panis comesuro*<sup>26</sup>, non aliud postulans quam parabile, ac necessarium alimentum. Et quis vero? Elias, qui cælum obseravit lingua, ne pluviam præberet, rursusque precatus supplicium solvit, et reflexit, nos viles intus, extraque. Qui etsi quid ejusmodi feramus, minime sit alienum, nec moleste patiendum, quin gratulandum in inopia juxta, ac copia, nam ea Christi discipulorum nota est, non perditæ murmurantem. Quo suscepto studio, et consilio, facile cum hæc adversa transeamus, tum bona adipiscamur futura, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO XCIX.

*Dei inhærendum formidini, quo pestiferos dæmonum incursus fugiamus, deque Psalmodia.*

Fratres Patresque, nuper egressis Agarenis illicet consternati timuimus, solliciti ne in cruentas impiorum manus incideremus, ne injuria, cæterum agi et dæmonum incursus, id vero minime cogitamus, nec metuimus ne incauti a malignis spiritibus capiamur. Enimvero in hostibus qui spectentur cum temporarius est incursus, tum eminus tumor delatus volentibus potestatem facit huc, illuc diffugere, quod dici, inaspectabilibus nequit, qui noctes, dies, in horas insultibus in nos dediti nec respirare (pene dixerim) permittunt. Ut plus hic opus sit formido majorque custodia, ne capiamur, quin pestiferos eorum incursus fugiamus, at quo fugiamus? ad Deum scilicet; nam *Deus noster refugium, et virtus, ac ille, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*<sup>27</sup>; et: *Immittetur angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos*<sup>28</sup>; rursusque: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem*<sup>29</sup>. Igitur Dei formidine, ac fiducia præditi nequaquam hostes pavebimus. Jam illud reputemur, haud ca-

ptum iri nisi panis, et aquæ penuria præsidium. Quid his simile in nobis? lacrymæ, ac verbum Dei, per quæ animus pascitur, et incolumitatur, quorumque defectu perit, ac proditur. Ergo *habitæ in nobis verbum abundanter*<sup>30</sup>, ut aiunt Litteræ, nec lacrymæ desint. Quin obitus indidem et proditio, quemadmodum ferunt. Quid hoc iterum rei? intestina nostra vitia, studioque carnis excitata animi sensa, quæ, ut insidiatores, inimicis ostium dæmonibus aperiant. Sed ii profligandi sunt nimirum, et omni ope cavendum ne civitas nostra, id est, mens, expugnetur, neu a peccato dejectemur, neu fœdus cum noxiis sceleribus ineamus, quin immaneamus virtuti, in qua conditi sumus, ad conditoris laudem, meumque sontis in Christi diem triumphum. Porro autem cum heri vobis succensuerim oh psalmodiam, obsecro ac cohortor, decore riteque psallere, non obiter, et supine confuseque. Id equidem haud sontem me offendit, sed pol sanctum Spiritum, qui edixerit, *Psallite intelligenter*<sup>31</sup>: at intelligenter psallere nequeamus, ni id observetur, ne, choro frequentando, versum auspicemur dum prædictus sit absolutus seu contenta, seu exilis psalmodia fiat, seu lentius, seu concitatius eat versus. Sin accidat torpor, et ignavia, certe succurrato alter alterum, in primisque decorum conservator quod si est in aliis pulcherrimum, quanto magis in alloquio divino? Annon in turbis deformationes animi fœdæ, ac captivitas quædam accidit mentis, contraque inest in decoro tum studium et contentio major tum suavitas, siquidem ait: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Igitur hortor obtestorque, summa ope nitamur hanc virtutem acquirere quoque, invicem adjurantes, ac corrigentes in canendo; nam sic intelligenter psallentes, animis voluptatem oppido quæramus, et exemplum aliis simus luculentum; atque in hoc etiam Deum denique colentes, perennem vitam eriscamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO C.

*Dirigi mentem dextre oportere ad immensam opificii pulchritudinem divini.*

Fratres Patresque, huc ingenium semper, huc invigilet animus in monasticum certamen, opusque divinum, non huc illuc paletur, ceu manucaptus, scilicet haud aqua mare, aut aspirantem aer defecit; multoque nos minus egregia cogitatio destituat necesse est, in Dei miraculorum pelagus infinitum spectantes quibus mens inerrans nequaquam agit opium qui in hac vita operam ludat, ac se vitiosis obliget cogitatis, siquidem motu prædita perenni conquiescere nequit, quin ferri necesse est quocumque dirigatur, seu dextre, seu sinistra. Ac si dextre, fari hæc Davidica queat: *Domine, in volun-*

<sup>24</sup> Jos. I, 16. <sup>25</sup> Matth. VI, 33. <sup>26</sup> III Reg. XVII, 10. <sup>27</sup> Psal. XLV, 2. <sup>28</sup> Psal. XXXIII, 8. <sup>29</sup> Psal. CXXIV, 1. <sup>30</sup> Coloss. III, 16. <sup>31</sup> Psal. XLVI, 8.



tate tua præstitisti decori meo virtutem <sup>32</sup>; sin sinistre, versum sequentem, *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* <sup>33</sup>; nam equidem aversum Deo est inane studium, animique perturbatio lethalis fontes seriatim. Quamobrem demus operam dextre ut perpetuo dirigatur, et eximia spectacula cernat. Quænam? Angelicas ac cœlestes copias, ingens inibi atque incomparabile decus, splendidas apostolorum, vatum, martyrum, et omnium sedes proborum, cœli convexum, radios solares, jubar lunare, astrorum tripudia, ac quæ alia sunt subjecta sensibus, non quo immoretur in iis, quin totius universa per ea molitorem Deum speculata, pulchritudinem quam habet incorruptam tueatur. Sane ornavit nos Deus, primum in paradiso, dignitate simulacri, et imaginis quamlibet inobedientia nos deartuavimus, ac confundimus; deinde in gratia per regenerationis lavacrum, sanctique Spiritus renovationem, quem effudit in nos copiose per Christum Jesum Servatorem nostrum, quanquam hic degeneravimus; quoque tertio in virginitatis professione, cunctis condonatis admissis, contraque nos chirographo crucigera quadam vita æque ac tinctione deleta. Igitur in sua mens pulchritudine maneto, ut audire mereatur, *Tota candida es, amica mea, et macula non est in te* <sup>34</sup>. Sin et maculam conflet (23), posteaquam mutabiles sumus, nec purus a sordibus quisquam, aut qui animum se habere castum gloriatur, at enimvero lacrymis purgemur, ait enim, *Lavabis me, et super nivem dealbabor* <sup>35</sup>; rursumque, *Lavamini, mundamini, auferte scelera ex animis vestris* <sup>36</sup>. Ac felix mens quæ sic assidue se purget, omnique studio libera, soluta, studium, amorem, cupidinem solum teneat, Deum mortemque in dies jucunde præstoletur, nam veniet omnino, ac debitum nos quoque persolvemus. Atque utinam pie, sancteque, tum reliquiis cujusque nostrum spectantibus, ac psallentibus sacris futuris, ceu lecto utensili, ceu probo instrumento, tum animo a sanctis angelis in perennem vitam asportando, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CI.

*De Heri Christi incarnatione, ac transfugis deplorandis fratribus, de nobisque muniendis doctrina.*

Fratres Patresque, rarum est auditorium, aliquot digressis fratribus. Quanquam nec præsens negligendus auditor unus, siquidem ait Dominus: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis: venit enim Filius hominis salvare quod perierat* <sup>37</sup>. Hui incredibile beneficium, venit ad fugitivum servum herus in habitu servili, ut eum servitute diabolica liberaret! venit lux vera

quæ petierat drachmam vestigatum, ut e tenebris eum peccati revocaret. Igitur necesse est nauci nos quoque, bonum imitatos, unicuique vestrum laborare, ac sermocinari, et pol impendere vitam. Atque utinam ales efficiat, volaturus, ac singulis contuberniis quieturus, cunctis videndis: et pro officio compellandis; nec iis solum, qui in Caini via, fraudeque Balami grassatis. Quosnam hos inquam? Leontium, Hermiam, Nectarium, nostri, ac religionis transfugas, qui præfecturam sceleris tulere præmium, quos si spectem, alloquar, ut aliud nihil, saltem consoler animum miser. Ac videre velim et qui, pro meis criminibus, sacro habitu projecto in nefarium se facinus induere, plus quo ejuler, quorum unus Pegasius ille, quem ferunt eo flagitii provectam, ut regia dignitate populo imperitet, bella moveat, homicidia patret, et vitam vero homicidio abruptisse. O calamitatem! in quod miserandus præcipitium ruit! primum contubernio profugus huc illuc itare, quo alluberet, ceu brutum pecus interiens, tum monachum exutus, tragœdia quam audivimus defungi. Quapropter, hortor, tum pro (24) eis comprecamini, tum vos munitote, ne quid de contentione monastica remittatis, nam paulatim remittendo, ac relanguendo, in perniciem animus impellitur. Eam ob rem et nunc solitarios degentes miseror, ac deploro ut facilem diabolo prædam objectos; etenim si e caula ovem arripit lupus, scilicet non extra ovile palabundam nactus interimat? Nescitis qua in nos insania præditus diabolus sit? quippe ingruit cunctis, non tamen ut wisellis monachis; ac cum interneccione gaudet multorum, tum in primis triumphat si monachum unum quempiam prosternat, eaque gratia luctatur, instat, contendit, obedientem ab obedientia retrahere, quietum e quiete, stylitam e stylo, clusium e claustrum, qua avocatione captum incitet quo lubet. Ut qui se in suis modulis, locisque teneant virtutis, insuperabiles sint diabolo, laqueis altius sublatis, igitur et nos, fratres, præbitis in hostem divinitus usi viribus in fugam eum cogamus, Dei formidine tecti, qui cœlestibus sensis impurum feriamus, non ab eo profectis succumbamus, quo victoria hic potiti justitiæ coronam referamus, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CII.

*De veteratoris vasfrilitie serpentis, ac quemadmodum vera submissione, viaque regia grassati, multiformes dolos evadamus.*

Fratres Patresque, cum hodiernus me dies cunctis postulat disserere, tum iis in primis qui modo advenere, ut jam pridem jejuni nostri sermonis expertibus. At qui futurus sermo est? ut Christiana

<sup>32</sup> Psal. xxix, 8. <sup>33</sup> ibid. 9. <sup>34</sup> Cant. iv, 7. <sup>35</sup> Psal. l, 9. <sup>36</sup> Isa. i, 16. <sup>37</sup> Matth. xviii, 11.

(23) Φανῆ μωμεῖσθαι est in nostro melius. Vat. φθάνη.

(24) Secutus sum Vat. in quo est ἐχέλων pro ἐχέλινου.



dignam oppugnatione vitam obeamus, omni exercenda pietate, atque probitate, ceu morigeri filii? non qui olim in ignorantia libidinibus conformemur, deque studii contentione monastici quidquam remittamus; nam videtis, fratres ut diabolus tanquam leo rugiens oberret, quærens deglutire quempiam. At nunc cernens persecutione se junctos, vehementius instat, qui prædari animum gliscat. Sed intenti semper, et ubique vigilemus, divinis tecti præceptis, atque is locum non inveniens, pudefactus abscesserit; siquidem nactus, penitus irrumpat, nec desistat, dum mactet ac interimat. Nescimus quot peremit ab orbe condito, non primigenium mortalem voluptate victum pomario proscripsit? non Cainum in fraternam cædem armavit? non Judam apostolico excidit cœtu, cunctorum vitæ proditorem molitus? non innumeros alios neci tradidit? Idemque est qui nunc quoque urget, insidiatur, decipit, peneque mundum deglutit, quem difficile, et impendio sedulum sit evadere. Nec conatur solum ineunda dissoluta, ac licente vita, sed etiam exercitatione degenda accurata prosternere, et in diversum nos impellere, varius, multisque se technis, ac fraudibus distinguens, atque in nos laqueos in terra complures explicans, secundum beati Antonii revelationem, quos et sola effugit humilitas, ut fertur.

Qua nos usi quoque, diverticula ejus, et errores devios evadamus, grassari regia neque huc, illucque declinante, quin præcepti norma traditi obeuntes, ac præcessorum vestigia Patrum sequentes, quorum in cœlis vita est. Igitur a vitiosis cogitatis mens retrahitor, animus divina oracula meditator, os in Dei laudem reserator, oculus rite cernito, aures fabulas ne admittito, manus ad opificia moventor, pedes modeste gradiuntor, eibus potusque obitor moderatus, somnus ad amussim componitor, neu citra necessitatem egressus, neu quæ mortem afferat licentiæ, neu aliud quid insolens agitator, quin cuncta sancte prudenterque geruntor. Neque vero spatium longum est, et finis imminet certaminum. Ecquod est autem laborum præmium cœleste regnum. Pro quo fratres, magis magisque decertemus, luctemur, sin corruimus, at iterum resurgamus; sin obdormimus, at rursus evigilemus, vim inferamus naturæ, membra hæc terrena perimamus, virtutes acquiramus, (quæ equidem mihi quoque edico, obsitus et ipse imbecillitate, ut eadem vobiscum natura præditus) quo sincere omnes, et insontes hinc profecti, perennem vitam consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CIII.

*De divinis exsequendis præceptis, ac justis in negligentes minis.*

Fratres Patresque, molitor Deus qui e nihilo

A nos protulit in lucem, velut in schola quadam in hæc vita collocavit, regni sui Evangelium discituros. Igitur prædicatum discipulos mittens jubet in hæc verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*<sup>38</sup>. Quænam sunt autem quæ mandavit? in antiquo fœdere, ut partim dicam, Non occides, non adulterabis, non furabere, non falsum testimonium dices in novo his majora, et accuratiora; nam *Dictum est ait, antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio; ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo temere, reus erit iudicii. Rursus dictum est antiquis: Non adulterabis; ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo. Rursus dictum est: Non pejerabis; ego autem dico vobis non jurare omnino. Rursus dictum est, Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, bene precamini exsecrantibus vos, benefacite his qui oderunt vos*<sup>39</sup>. Viden' quod utriusque fœderis discrimen? illo actiones vetante, hoc vel occasiones, unde actiones existant, ne hinc radices agat peccatum, itaque si nec legaliter, nec Evangelice, sed ethnice, ut sic dixerim, obitans quid tum temporis patiemur? *Nolite errare, inquit, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*<sup>40</sup>, eaque de causa, uti sæpe, et nunc præmuniens edico, ne quis solitarius degito, neu supine fertor, neu aurum cogito, neu servum teneto, neu equum, neu bovem alito, neu quid aliud tractato citra persecutionis normam, unde graviora, et atrociora facinora manent. Tametsi sunt e vobis qui contra verum obstinate contenditis, quorum a sanguine sum insons; neque enim subterfugi quin divinum jus edicerem, nec reticui venturum immorigeris ensem. An irritamus Deum? num fortiores eo sumus? Jam vero *et securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excinditur, et in ignem mittitur*<sup>41</sup>. Non exemplum timetis, non minas exhorrescitis? non mortem pavetis, quæ mox ob-eunda est?

Qui horribiles angelos tueamur, eductum nos e corpore venientes; qui longum illud immensumque iter peragremus, viatico non instructi? qui tribunali sistamur Christi, cui congenulabunt universi, cunctæque laudes offerent linguæ, fœdam conscientiam tenentes? Ut ablegari sit necesse ubi non exstinguitur ignis, non moritur vermis; ubi fletus, ac dentium stridor agitatur, quod ne accidat, fratres, agite venerabundi illacrymemur clementi Deo, et eum coram prævertamus, confessione, precibus, compunctione, lacrymis, supplicio, jejunio, castitate, omni præclara functione. Enimvero is est

<sup>38</sup> Matth. xxviii, 20. <sup>39</sup> Matth. v, 44. <sup>40</sup> I Cor. vi, 10. <sup>41</sup> Matth. vii, 19.



scelerum nostrorum placamentum, nec se in nos affirmavit, minimeque revertentem aversatur, quin asciscit: ut meretricem, ut prodigum, ut latronem. Sane, obsecro, fratres consurgamus, excitemus, contendamus, quo velut pueri studiosi e schola discedentes læti domum revertuntur; sic nos quoque ceu genuini Evangelii discipuli in perennem vitam ovabundi commigremur, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO CIV.

*De sincero veroque amore, ac morigeratione erga præfectum, et horrendo justis iudicis examine.*

Fratres Patresque, quæ superiori Catechesi propter tum præsentem disserui, æger ac dolens disserui, at quæ de vobis nunc habeo dicere, ea vero sunt meliora, et cum salute conjuncta, qui Dei Opt. Max. beneficio morem tenuitati nostræ obsequentes geratis, nihil citra constitutum agentes. Quod non mihi gaudium modo est, ac triumphus, sed præ me adeo vobis, qui virtutem ante cœpistis; quid est enim suavius, lætius, jucundius quam ad præscriptum vivere, nec pro libidine quidquam obire subditum? hoc vera morigeratio est, hæc beata vita, (20) hoc præmolestum quoddam, et immolestum, ut sic dixerim, certamen; præmolestum ei qui adhuc suis studiis teneatur, immolestum ei qui suapte studia præfererit, ut apostolice ausit dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*<sup>43</sup>. Scilicet qui nequaquam ex sua libidine vivat, per præfectum quasi quemdam sequestrum Deo vivit, *revelata facie gloriam Domini speculatus, et in eandem imaginem transformatus a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu*<sup>44</sup>, quemadmodum scriptum est. Enimvero hic mundi est securus, interitus morte, lætam, ac quietam peragens vitam totus consecratus Deo, cæterum qui suapte voluntate, projectis obedientiæ legibus, nitatur, sibi volens, sibi placens, næ is vitam trahat afflictam, qui a diabolo captus ad arbitrium teneatur. Qui ut jejulare videatur, aut pervigilare, aut alia virtute fungi, illaudata functio est posteaquam *Omne quod non est fide, peccatum est*<sup>45</sup>, et alioqui quod ad communem regulam non agatur, cum proprium est agentis, tum alienum a pietate. Ut merito eos reprehenderim, vos laudem, ac cohortor inhærere pulcherrimæ morigerationi, tolerantia, frangendæ voluntati, fidei, spei, charitati, cæteris obedientiæ studiis, qua re et salutem quæeratis, et exemplar egregium toti contubernio sitis sane, obsecro, fratres, siquidem abest minimum quin jamjam veniam adventans, nihilque cunctetur, supremo imminente die quo in tenebris perpetrata patefiant, animique consilia retegantur,

veniet horrendus, ac qui defraudari nequeat iudex, qui subditum subdito, præfectum præfecto, episcopum episcopo, prætorem prætori, regi aggreget regem, et alterutrum ex alterutro corrigat, ac refutet, *et unicuique reddat secundum opera ejus, iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem, et incorruptionem quæerunt, vitam æternam; iis autem qui sunt contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio, tribulatio et angustia*<sup>46</sup>, uti canitur. Quod pertimendum est, omnique studio cavendum, ne sub obitum bonorum operum inanes depredamur, quin honestarum feraces functionum spectemus. Sin obluetur hostis quo minus virtutem obeamus; quod negandum non est, qui quidem homicida sit ab initio, neu steterit in veritate, cum non sit veritas in eo, quemadmodum ait Dominus; at fortitudine in eum, ac magnanimitate utamur, laboribus, studio, precibus, supplicio, lacrymis adhibendis, atque is succumbet, Deo in certamen coeunte, nostraque imbecillitate juvanda perennem victoriam præbente per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

SERMO CV.

*De expurgando a sceleribus animo, ineundisque virtutis laboribus.*

Fratres Patresque, fors animum dicere inducat quispiam frugem ex his Catechesibus nullam percipi, sed profecto, ut mihi videtur, vel in primis percipitur. Scilicet quod aratrum terræ, et aqua sitiienti, id gnave audienti Catecheticus sermo est. Unde enim mens corrumpitur? unde in fratrum rebus publicis bella, rixæ, dissidia? nonne ex eo quod doctrina, ac castigatio non obitur? Quæ ubi sint ibi serenitas, atque pax est, ubi pax, et serenitas ibi sanctus Spiritus conquiescit. Qua de causa equidem timide cupideque disserere, castigare, hortari, ac commonere satago, si qua possim ab omnigenis diaboli tentamenti vos meque servare, quanquam fateor operam vos quoque non minimam conferre, maxime primores, omnesque me ad bonum opitulatores habere. *Ego plantavi, ait ille, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*<sup>46</sup>: ut non mea solius, quin vestra omnium sit functio, seu potius Dei, ab quo cuncta in homines recte facta manant. Itaque, cohortor, quod cuique obtigit munus ad publicam frugem urgetote, animique domicilium Deo construuntor, nam Apostoli hæc sententia est, *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim declarabit, (quia in igne revelatur) et uniuscujusque opus quale sit ignis*

<sup>43</sup> Galat. II, 20. <sup>44</sup> II Cor. III, 18. <sup>45</sup> Rom. XIV, 23. <sup>46</sup> Rom. II, 8. <sup>47</sup> I Cor. III, 6.

(25) Hæc in nostro foede mutilata erant, quæ in Vat. integra offendi.



probabit <sup>47</sup>. Observemus quid dicat, quemadmodum auro, argento, lapidibus pretiosis virtutem comparet vitium, lignis, feno, stipula, quibus iudice igni explorandis, tenera conflagrabit, superstitibus duris. Ac terribiliorem comparans sermonem, addit in hæc verba: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, qui estis vos* <sup>48</sup>. Huius beneficium, Dei nos templum nominari! huius minas, qui Dei templum corrumpamus, corruptum iri divinitus: quamobrem ne Dei templum corrumpamus, fratres, neu Spiritum habentes domesticum scelerum domicilium siamus, neu a vitiiis asserti iterum diabolo servitutem serviamus, quin *stemus sinceri, et sine offensa, repleti fructibus iustitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei* <sup>49</sup>, quemadmodum scriptum est. Igitur sit animus noster vigil semper, ac contentus, qui timore divino, et assidua mortis deformatione imbuatur, ubi is enim obeatur labor, subeundi locum peccatum habeat nullum. Sin reses stupidaque mens sit; tum vero subolescere libido, quæ nos incitet ac conturbet, minimeque dimittat, dum in priorem statum postliminio revertamur. Ut inducendus sit animus qui pro virtute laboremus, quo vitam ineamus felicem nitamur pro bono, quo perenni requiete potiamur; ploremus, quo gaudere in Domino queamus; arcto, et afflicto itinere grassemur, quo hinc manantem alienam dolore vitam consequamur. Enimvero is præstantissimus quæstus, ea summa est felicitas, exiguis pro virtute certaminibus, ac laboribus immensa, et immortalia bona parare quæ assequi omnes contingat Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CVI.

*De vitæ navigatione nostræ sollicitè, vigilantè, ac periculose regenda.*

Fratres Patresque, instar maris humana vita est, in qua cuncti, ceu navigium, corpus hoc ingressi, imaginario trajicimus; nec definito quonam tempore ut qui sub sensum subjectum æquor permeent, nunc navigantes, nunc in portum appulsi, quin assidue navigamus, dies, noctesque, nec citra fluctus, ac tempestatem, ut nihil dicam atrox pelagus objectum, neque atrox solum, sed impendio vastum, vitæque curriculo nostræ descriptum. Quod dici non potest quantis procellis præ malignis spiritibus inhorrescat, quotve incurrant dæmones piratæ, qui nos demergant. Id adeo non ignorans sanctus David precabundus dicere: *Libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Quod si David, talis, tantusque extimescere, ac ne

<sup>47</sup> I Cor. III, 13. <sup>48</sup> ibid. 17. <sup>49</sup> Philipp. I, 11.

(26) D. Basil. Orat. Εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν Παροισμῶν.

demergeretur rogare, quod et passus aliquando est, dormitans, quid nos nauci dicamus, quantumque convenit timere, et ne idem subeamus precari? Ergo animus noster quasi quidam gubernator est qui ubi vigilet intentus, vitiorum arceat procellas minimum cogitatis quæ ingruant aspersione, defetiscatur hæreses, flagitium intromittat, ceu mundans, quoddam flumen, sentinaque gravatus, ingens naufragium faciat peccati, quod cum triste est auditum, tum tristius cogitatum. Tum sollicita ac periculosa vitæ navigatio nostræ est; ut intente vigilantèque retinendum sit gubernaculum, et eminus profliganda vitia ac confestim irrhentes scædæ cogitationes arceant, ne his immorati demergamur. Neque hæc vero ad juniores tantum pertinet oratio quin ad seniores quoque, et in exercitatione protractos, postquam ne hos quidem intentos diabolus omittit, de quibus exstat hæc alicubi magni ac divini Basilii sententia (26): Tristissimum spectaculum, post pervigilia, post afflictiones, post contentas preces, post uberes lacrymas, post viginti aut triginta fors annorum continentiam, ob animi supinam negligentiam cunctis exspoliari. Equidem id infelix tum vidi tum audivi, et illacrymatus illacrymor, cogitans quemadmodum tot opes virtutum, ac tot annis congestæ, uno temporis momento diaboli periere fraude, nudo et inutili relicto quasi quodam exercitore pietatis, tam ingens est salutis nostræ mysterium, tantaque diaboli atrocitas, in cælum, nos unde excidit, tendentes conspicati. Atque is ejusmodi sane est, tantaque nobiscum vesania confligit: cæterum nos, fratres, qua parvi, qua magni, qua juvenes, qua senes, unanimes universi, Deo duce, studiis multis, ac laboribus quæsita satagamus nequaquam per negligentiam perdere, mundi secessionem, obedientiam, temperantiam, lacrymas, confessionem, tam nuperam quam præsentem; quin vigiles excubemus, pansum spei velum habentes, qui Spiritus regamur auris, dum sub exitum vitæ ad immortalitatis portum appellamus, virtutis tanquam mercimoniis cœlestis regnum lataturi per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CVII.

*De mortis recordatione, neu supine sacra percipiamus.*

Fratres Patresque, heri ut apparitor regius adventit, illico expavimus, inexpectato adventu consternati, intellectoque haud propter nos advenisse, extemplo solvimus timorem. Quæro igitur qua de causa timuerimus, scilicet qui imperatori ob præsentem confessionem parum grati, quin exosi, ac detestabiles essemus; nam si germani fuissetis amici, nimirum ovassetis, scientes boni cujusquam gratia proculdubio venisse. Quorsum hoc autem mihi præmium? enimvero ani-



mus quoque qui præclara vita benignum Deum A paraverit, sub exitum e corpore missum a cunctorum rege ad se satellitem lubens, et imperterritus spectabit, lætusque se conferet ad herum; sin secus deprendatur, turbet, ac prætrepidet necesse est, nec fiducia præditus, nec opitulante quoquam. Hic quidem sane et amicus, et frater solentur, ac terrorem depellant, quorum est inibi pecunia cunctorum, angelo atrociter, et acerbe miserum animum raptante. Ac fors timuerimus in his verbis. Pol si terrorem attulit auditus, ecquid in re præsentis patiamur; qui ad Christi tribunal animus is compareat; coram igneo flumen trahitur, secundum Danielem vatem, astantibus centenis millibus, ac ministrantibus decies millenis millibus præsto est severus, et inde fraudabilis iudex, agiturque, de evangelica sententia, vel segnis examen verbuli, quæ qui tum animus feret? Equidem cum horrendum est in viventis Dei manus incidere, tum horribilius ubi justissimam audiat sententiam æternis suppliciis traditus. Quamobrem, fratres, hortor, et obtestor, reconciliemur ante obitum Deo, benignumque paremus, venturos ad nos angelos acquiramus amicos, vigilem animi oculum habeamus, mentem inexpugnatam teneamus, qui haud declinemus, ab assiduo cum vitiis conflictu, sin pauxillum lapsemus, evestigio surgamus, ac frequente fletu ignea perduellis tela, Christiano inducendo studio, exstinguamus. *Multum valet deprecatio justis assidua*<sup>51</sup>, ut preces, atque instigationes mutuas requiramus. Multum lacrymæ, ac compunctio valent, et ante omnia, ac cum omnibus, sacrorum perceptio, in qua nescio quo pacto segnes animadvertens, impendio miror, qui quidem, si adsit Dominica, adeatis mysteria, sin alio die cætus frequententur, minime coeatis. Pol liceat in monasterio vel in dies communicare, nunc rarius, ac vix convenitur. Neque hæc dissero, qui vos velim leviter, et obiter accedere, scriptum est enim, *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat, qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*<sup>52</sup>. Non id igitur dico (minime gentium) quin ut communionis studio quantum plurimum potest purgati, compotes siamus muneris; nam propositus vitæ est perceptio panis, siquidem ait Dominus, *Ego sum panis qui de cælo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*<sup>53</sup>; ac rursum: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*<sup>54</sup>. Viden' ingens et ineffabile beneficium; non mortem obiit solum pro nobis, quin epulum se præbuit quoque. Quid hoc validi demonstrantius amoris; quid animo magis salutiferum? Jam cibo, potuve proposito communi, desit nemo quin percipiat quotidie, ac ni percipiat oppi-

do ringatur; nunc obmoto non communi, sed vivifico pane, nec communi, sed immortalis poculo, indifferens quiddam, nec prorsus necessarium remur? scilicet non ea summa imperitia, et amentia est? Etsi id accidit vero, saltem imposterum caveamus, haud ignari quæ vis muneris, ac quantum pote purgati, sacra percipiamus, quin munificio vacantes ubi signum edatur, opere relicto donum asciscite studiose. Id adeo nobis, ut arbitror, seu potius ut res habet magno sit adjumento, qui fruendi præparatione puri, et insontes conservemur, nam communicandi negligentia qui possumus non vitiis capi? Quin et vitæ futurum est viaticum perennis, quam adipisci mereamur Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio. Cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem Amen.

### SERMO CVIII.

*Pernices esse oportere ad certamina virtutis.*

Fratres Patresque, inquietum quiddam est natura virtus, quæ haud cesset niti in anticum, quin præditos se in melius provehat semper, quod demonstrans Apostolus ait, *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim, persequor autem si comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu*<sup>55</sup>; et iterum: *Quæ quidem retro sunt oblitiscens ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu*<sup>56</sup>. Ut quies sit ab virtute nulla, nam ab virtute quies vitii est exordium. Itaque nec nos quiescamus, fratres, a virtutis curriculo, sed assidue pernices, ac novitii e robore in robur provehamur, dum in virum adultum evadamus, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*<sup>57</sup>. At qui id fiet? si diem solidum læti exigemus. Exempli causa, adest mane? illicet e somno consurgamus, precibus inhærentes. Abscessimus inde? alacres opus arripiamus, simul carmina Deo cum animis canentes, simulque munificiis dediti. Finitus dies est? gratulati, compunctique, dormitum concedamus, qua vicissitudine hanc Davidis sententiam comprobetis, *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*<sup>58</sup>. Ne segnis dies obitor, mente tanquam manucapta, neu in stupris ac libidinibus nox transitor, non dico qui hæc perpetremus (minime vero), quin nec cogitemus quidem; nam uti corpus, sic animum castum veritatis flagitat oratio. At enim desiderii ducimur? quid desiderabilius virtute cuius iucunda et inextaturata est voluptas? Pulchritudinem amamus! quid Hero amabilius, cuius resident pulchritudine cuncta? cæterum pravi cupidines mentem externatam fera omni crudelius depascuntur. Ut non voluptas ea sit, sed luctuosa vita.  *Nolite errare, inquit, caro, et sanguis regnum Dei possi-*

<sup>50</sup> Psal. lxxviii, 26. <sup>51</sup> Jac. v, 16. <sup>52</sup> I Cor. xi, 29. <sup>53</sup> Joan. vi, 50, 51. <sup>54</sup> ibid., 55. <sup>55</sup> Philipp. iii, 12. <sup>56</sup> ibid. 14. <sup>57</sup> Ephes. iv, 13. <sup>58</sup> Psal. xviii, 5.



*dere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*<sup>59</sup>. Cedosis vero quem amplexum peccatum non infamia replevit, afflixit, neci tradidit? quam amplexa virtus non evexit, ac mundo conspicuum reddidit? Duos e multis excipe, Amnonem et Josephum: non illum sororis incestus jugulavit? non hunc castitas ab Ægyptia regno donavit? Tam amabilis, et expetenda, ac salutifera est virtus! et frequenter tamen impendio erramus, qui mortem pro vita complectamur, tenebras pro luce presemus, corruptelam pro immortalitate deamemus; quo quid miserabilius? Unde igitur, ait, qui boni amatores velimus esse, nequivimus? Quod non vere volumus, sed fictitie, siquidem pro arbitrii libertate omnino quod volumus amplectimur. Enimvero studium a pueris ad prava, ut videtur, habitum in nobis contraxit vitii tenacem. Sed quæ est Apostoli sententia? *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*<sup>60</sup>: hoc est, parem oportere industriam conferre in virtutem. Itaque, fratres, adhuc pulsare insistamus, plaueque fores clemens aperiet Deus, quæ accepta sibi sint in nos molitus, ac perennem vitam largitus per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CIX.

*De obitu fr. Theososti, atque obeunda pie sancteque vita.*

Fratres Patresque, jamjam explore cognovimus Theosostum fratrem obiisse, de quo dicendum est nonnihil, posteaquam vir fuit probus, a permultis laudatus, qua monachis qua laicis, qui et subderet, et subditum gereret, *pro iis quæ passus est tentatus, ut Apostolice loquar, potens et iis qui tentantur auxiliari*<sup>61</sup>; quare complures probos secundum Deum filios contraxit, idemque ob veritatem miseras, ærumnas, calamitates, ac pericula non minima suscepit, in quibus et defunctus, ad Dominum concessit. Quorsum hæc autem mihi dicta? ut in fratre exemplar quoddam rerum nostrarum tueremur; qui sancte et honeste obeuntes, æque simus ab alio post mortem laudandi, illices quidam præclare posteris objecti æmulationis; sin sequius, non solum non laudemur, quin æterni pœnis supplicii mulitemur, quod terribile est tum cogitatu tum dictu. Jam videsis mihi ut hinc vicissim abscedimus, ac quo abimus, tum quæ hic nobis sit vitæ in paucos prorogatio dies, ad virtutis explorationem, et tanquam periculum victuris, inde morituris, ac sic discessuris ubi perpetes maneamus. Hæc prudentum recolere est, eaque qui recolat, tremit, et formidat, qui studio semper obeat quotidie, ac corporis quasi quamdam manu-

missionem præstoletur indeque ad incumbens munus, et impositam provinciam animetur, usque adeo, ut juges labores laboribus addat; nam unde, sodes, prælia sanctorum inaudita, diuturna tolerantia, pertinax morigeratio, in senectutem subjectio, atque his insuper majora? unde martyrum certamina, membrorum laniæ, sanguinis profusio? non qui animis usurparent, præcipitem vitæ curriculi brevitatem, comparitionem ad horribile tribunal, æterna et infinita supplicia? Scilicet hinc eis tolerabilia cuncta, hinc atrocium pœnarum ceu in corporibus alienis perpressio. Ac beatam quæ hæc dies noctesque cogitet mentem, quæ velut hospes, et advena vitam transiens, ævum maneat felix, ac securum, de quo Apostoli hæc sunt verba,

*Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura subjecta est, non volens sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*<sup>62</sup>. Viden' ut promittitur fore ut totum hoc universum a corruptela restauretur, atque e servitute in libertatem natura rerum omnis dissingatur? Cujusmodi vero is deinceps dies de quo ait sanctus David, *Melior est dies una in atris tuis super millia*<sup>63</sup>; rursusque apostolorum coryphæus: *Dies Domini sicut mille anni*<sup>64</sup>; et apostolus Paulus: *Configuratus morti ejus; si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis*<sup>65</sup>. Huc nos quoque animum, fratres, atque mentem contendamus, huc studia conferamus, huc cogitata et ingenium traducamus, hic vota ac desideria figamus, qua occupatione sæculi hujus principem lateamus, qui cum tentare nos potest, tum prosternere nequit, contentionis jam armis monasticæ tectos. Quem opto equidem nauci non effugere vos modo, sed etiam superare, corona mactos probitatis, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CX.

*De lætifica vita nostra, neu desetiscamur in adversarii lucta.*

Fratres Patresque, cum omnes homines semper in Domino gaudere Apostolus jubet<sup>66</sup>, tum soli, ut apparet, veri monachi gaudent, qui non uxoris, non liberorum, non servorum, non pecuniæ, non prædiorum, non alterius cujusquam eorum quæ ambient carnales sollicitudine ducantur, unumque ineant studium solum, qui placeant Hero. Quod pol studium juge est in Domino gaudium, nam ubi matrimonium est, ac servitus, et quæ ex iis molestiæ manant; misera hæc hominum generi divinitus insita distractio, qua distinerentur, ut fert Salomonis sententia<sup>67</sup>: difficile est in Domino gaudere, mente ab iis quæ prædixi a sancta Dei recordatione demota, in qua situm in Domino

<sup>59</sup> I Cor. xv, 50. <sup>60</sup> Rom. vi, 19. <sup>61</sup> Hebr. ii, 18. <sup>62</sup> Rom. viii, 21. <sup>63</sup> Psal. lxxxiii, 11. <sup>64</sup> II Petr., iii, 8. <sup>65</sup> Philipp. iii, 10. <sup>66</sup> Philipp. iv, 4. <sup>67</sup> Eccle. i, 1 seqq.



gaudium est. Itaque qui e numero simus in Domi- A  
no gaudendum, lætemur, et inter nos collætetur,  
fratres, exspectando virginitatis ac paupertatis  
præmia a remuneratore Deo, qui mercedem vel  
frigida est pollicitus<sup>68</sup>, nedum tam grandium,  
et ingentium facinorum; nam profecto summa est,  
ac præcellens virginitatis functio, conjunctaque  
cum angelica vita, quæ hominem revocet ad origi-  
nem, in paradysum, cum nuptiæ, atque servitus  
nusquam vitæ quædam secuta, et innoxia dege-  
retur. Sin te haud lætari, quin dolere dicas, quæ-  
nam, rogo, causa est doloris? Quod culpas admi-  
sisti? At hæc per secessionem, et obedientiam, ac  
confessionem sunt remissæ. An quod cogitatis in  
dies ferire? At signum id quoque est coronæ,  
neque enim bello alienum quisquam sed bellato- B  
rem coronat; nec in arenam non progressum,  
quin egregie pugna defunctum donativo prosequi-  
tur. Non videtis ut unde tristari dicimur, hinc  
lætari habeamus? quamobrem lætemur, fratres,  
spiritali agendo gaudio instantes, et acrius ad  
diaboli fraudes oblucentes, qui ejus insultus pre-  
cibus ac supplicio frangamus, et submissione atque  
obedientia laqueos dissipemus; tum autem lacry-  
mis, ac compunctione quasi quemdam Pharaonem  
demergamus, et profitendis edendisque culpis  
procul in fugam vertamus, cæterisque cunctis recte  
factis divina ope prosternamus. Pol fraudum mul-  
tiplex, atque artifex scelerum est, qui nos interficere  
quærens, tum captare quo ingruat tempus, C  
tum recipere se norit, ceu victus, scilicet, ut  
irruens repente, imparatum animum nactus, quod  
vult efficiat. Nos enimvero pro statione siti excu-  
bemus; vigilemus, mentis oculum insopitum te-  
nentes, studioque servens ingenium divino: qua re  
stabiles, ac invicti maneamus, sane, obsecro, neu  
obeundo bello torpeamus, neu in adversarii pugna  
defetiscamus. Finis imminet certaminum, atque  
abest minimum quin jamjam veniat adventans  
nihilque cunctetur, aut cujusque nostrum decessu,  
aut totius universi decursu peragendo, qua tem-  
pestate apparebit e cælo, angelicis copiis stipatus,  
igneaque flamma, et infanda majestate obsitus,  
cum quidem *Videbit eum omnis oculus*, quemad-  
modum scriptum est, *ac qui eum pupugerunt et* D  
*plangent super eo omnes tribus terræ*<sup>69</sup>. Quam id  
terribile spectaculum est, et omni consternatione  
majus! Gestient tum quidem qui præclarum cer-  
tamen decertarunt, qui in periculis persistere, qui  
probitatem amavere, qui morigerationem obivere,  
qui obedientiam peregere, qui omnino in omnibus  
Deo placere. Quibus accensi nos quoque, æternis  
bonis fruamur, per Christum Jesum Dominum no-  
strum, cui gloria et imperium, cum Patre, ac san-  
cto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetui-  
tatem. Amen.

## SERMO CXI.

*De tolerantia, ac compunctione.*

Fratres Patresque, equidem locutus loqui, ac  
cohortari insistam cohortatus, qui quidem sim sol-  
licitus, posteaquam et caput obsidet senectus, et  
horrendum est præfecturæ judicium, quid pos-  
sum non extimescere, ac præcupere non hæc  
pauca eloqui solum, quin nauci hanc vitam quoque  
pro vestrum singulis impendere? Igitur audiamus,  
fratres, Apostolum dicentem: *Tempus breve est*  
*porro, ut et qui habent uxores tanquam non habentes*  
*sint, et qui flent tanquam non flentes, et qui gaudent*  
*tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non*  
*possidentes, et qui utuntur hoc mundo tanquam non*  
*utentes: præterit enim figura hujus mundi*<sup>70</sup> Quid  
est, *præterit figura hujus mundi?* id est, labitur,  
præterequit nec vel diuturnam stabilitatem obti-  
nens, sed qui heri nitidus, hodie squalidus, qui  
heri in re splendida, hodie in miseria est; nunc  
extollitur ille, nunc alter dignitate ruit; hic e pau-  
pere fit dives, alius e divite pauper, milleque mu-  
tationibus, atque vicibus ærumnosa nostra sub-  
jecta vita est, nihil possidens constans. Unde id  
accidit vero? nimirum ex olim inscitia nostra: nam  
contempto, quod in paradiso accepimus, sancto  
præcepto, fraudeque serpentis voluptate illecti,  
haud abs re calamitosæ ac mutabilis vitæ tan-  
quam in manum convenimus. Ob quam et Domini  
nostri Jesu Christi adventus agitur, qui origini  
redditos in ævum restituat insons atque alienum  
dolori, ut prudentum sit, et proborum, in instabi-  
libus firmum, in mutabilibus immobilem consistere;  
quorum id est autem, nisi crucifixorum mundo,  
Herumque sequentum? Enimvero ii nos sumus,  
Christi beneficio, fratres venerandi, qui secessionem  
facta illustri, obedientia defungamur, rerum pul-  
cherrima, qua in antiquum velut postliminio rever-  
tamur; etenim paradiso ob inobedientiam, ac con-  
tumaciam proscriptos voluit ter optimus Deus per  
obedientiam et obsequium recuperare paradysum.  
Quamobrem gaudeamus in obedientia nostra, qua  
in perennem vitam reducamur. Verum et in con-  
flictu pertinacia, et in ærumnis tolerantia requiri-  
tur; nam si secundum carnem haud citra ingentes  
labores ac sudores victoria paratur, quanto magis  
qui vitæ hic curriculum victor decurrat, virilis in  
primis et magnanimus sit oportet? Itaque stemus,  
hortor, animose, qui quotidie vigiles excubemus  
tracto in solum Deum desiderio, in eoque con-  
templando defixi, lacrymosi, tacti compunctione,  
precibus supplicio reluctantes, itaque sancti Spiritus  
gratiam ducentes, nulla enim re tantopere delecta-  
tur Deus, ac mente a vitiis pura, nec tam odora-  
tum redolet pratium, quam animus virtutibus fra-  
grans. Sin accidit dormire, at evigilandum est  
quamprimum, ac si vel septies in diem admittere

<sup>68</sup> Matth. x, 42. <sup>69</sup> Apoc. i, 7. <sup>70</sup> I Cor. vii, 26, 31.



contingat, septies resipiscendum, quo facto, admittamur; si vel septuagies septies id patiamur, toties adhibenda poenitentia, nec spe frustrabimur, ut divinum fert promissum; tantum insistamus, cohortor, neu defetiscamus, quin a lapsibus nos revocemus. Jam finis imminet certaminum, propinquant gaudium, et triumphus, ac coronæ probitatis, quas et consequi mereamur Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXII.

*De supremo die, et adventu illustris Dei, ac Servatoris Jesu Christi.*

Fratres Patresque, cum angustum ingenium meum et exilis loquendo lingua est, tum necessitate equidem satago vos alloqui. Ecquid est autem necessitas? præfecturæ judicium, ergaque vos amoris debitum, partim ratione pro vobis Deo reddenda sub judicii tempus in quo et prætrepido misellus, partim bono pastore haud verba solum, quin vitam pro ovibus impendente. Itaque, fratres, adeste, quod felix faustumque sit, scædus porro in supremum diem paciscamur, reconciliemur Deo priusquam implacabilis mortis adventet hora, siquidem exstat hæc sententia: *Non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi*<sup>71</sup>? Non fratres quotidie rapi cernimus? non videmus quemadmodum ut oves habemur ad laniendam comparatæ, hodie incolumes, eras nulli? En assumptus est et Fr. Liberius, cujus, medius fidius, mors percussit animum, inventi, ut aiunt, repente in cella exsanguis, in latus jacentis, specie consopiti. Atque hic ei finis; noster qui cessurus sit nescimus quave morte simus defuncturi ignoramus: nam ecquid subito, an ægritudine præcepti? num in sicco, an in liquido? num soli, an fratribus juncti? Enimvero quis Dei mentem perspexit, aut ei a consiliis fuit, qui diem, horam, modum, locum sui teneat finis? ut pol terribilis sententia sit mortis, et horrendum in immortalis Dei manus incidere, nec possim non cohortari ut solliciti, intentique semper, divina tractemus. Quæstorem ille egit, inquit, sub tali imperatore, hic dynastam, alius opes, alius regnum quæsivit. Et quantula hæc, sodes, quæ somnii labantur instar? *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*<sup>72</sup>. *Omnis gloria hominis tanquam flos feni*<sup>73</sup>. Quæstum quidem certe optimum fecere Dei electi, partis dignitatibus perpetuis. Quibusnam? Alii apostolorum, alii vatum, alii martyrum, alii sanctorum, alii quamlibet postrema, at salvorum tamen, quorum insunt in vitæ libro nomina, inextincta gloria est, et ineffabilis triumphus. Hos imitemur fratres, et unam minimum dignitatem ineamus, postquam nec invidetur beneficium, et volenti cuivis expositum

<sup>71</sup> Psal. vi, 6. <sup>72</sup> Psal. lxxv, 6. <sup>73</sup> Isa. xl, 6. iii, 10. <sup>74</sup> Hebr. xi, 6. <sup>75</sup> Psal. xlviii, 13.

A bonum est, qua parvo, qua magno, qua erudito, qua proletario, qua seni, qua juveni; sin secus, in coelestem thalamum non admissis fores herus præcludet: *Væ, inquit, homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*<sup>74</sup>. Neque dubium est quin de proditore loquatur, etsi haud abs re et in quemvis dicatur, qui salutem suam prodat. Non adventum reputamus illustris Dei, ac Servatoris Jesu Christi? non ignem inextinctum, æternaque tormenta, et intoleranda revolvimus? O qui hæc intelligat, quasque solers gubernator seipse gubernet, immersamque animi mentem ab improbis spiritibus conservet! Nos, me Hercule, qui tranquillam, et quietam, ac compositam Christi beneficio vitam cœpimus, adhuc prospere vehamur, adhuc læti cuncta patiamur, singulis muniendis divino timore membris. Igitur oculus curiose tueri prohibetor, auris inanes fabulas ne admittito, lingua detrahare vetator (siquidem ait: *Qui detrahit fratri suo, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem*<sup>75</sup>), manus pro virili operator, postquam otiosum nec comesse apostolica sententia est<sup>76</sup>, pedes in viam pacis diriguntor, animus ad pravos sermones ne declinato, neu in flagitiis prætextus captator, sed ornate omnia decenterque geruntor, quo egregie cuncta obeuntes bona adipiscamur æterna: per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXIII.

*De fide, et amore, ac virginitate.*

Fratres Patresque, duo sunt quæ homini salutem quærunt, fides et amor. Vos quidem si errare in fide cernerem, pol de ea sererem verba, operamque darem qui vos in orthodoxam sententiã restituerem: nam: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia es, et inquirentibus se remunerator est*<sup>77</sup>. Sed cum a fide, Christi beneficio, valeatis, qua subnixi, divinæ spe gloriæ triumphatis, age hac ommissa de actione breviter disseramus. Igitur hortor vos, fratres, nunc quoque, ut alias semper, accurate studium obire monasticum, animi sensis quasi quodam modimperatore præfecto, sollicitos de virginitate, re oppido quam pretiosa, quam cum amplexi Dei misericordia sumus, tum ea expugnanda tentat inimicus omni industria qui in salutem nostram grassetur: neque enim nescit hoc facinore obeundo Dei nos quiddam instar habere, ut ejusdem contra jactura cum jumentis comparemur: siquidem scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*<sup>78</sup>. O quot veterator in omni memoria carnis libidine cepit! quum instat nunc quoque, et senes juxta, ac juvenes, nec projectos

<sup>74</sup> Matth. xxvi, 24. <sup>75</sup> Jac. iv, 11. <sup>76</sup> II Thess.



solum, sed etiam accuratos, decepit, in omne pro-  
pmodum caput his usus armis. Quod architectari  
incipit venenum scedis admissis cogitatis, accen-  
samque carnis, atque sanguinis desiderio mentem  
ad eloquenda nefaria provocat : qua ausa porro  
seu proprium, seu alienum tractare membrum,  
mortem exigit, et absolvit : nam : *Concupiscentia cum  
conceperit, inquit, parit peccatum ; peccatum vero cum  
consummatum fuerit, generat mortem* <sup>79</sup>. Quam nos,  
fratres, æternam mortem, ac deploratum animi  
morbum fugiamus. Enimvero scabiei similis mihi  
videtur. Itaque quasi qui scabiem defricet oblectari  
videtur, neque oblectatur, quin serio cruciatur, et  
eo magis, quo plus defricet ; ad eundem modum  
libidine captus dolorem, non voluptatem, æstum,  
non quietem, moerorem, non oblectamentum capit,  
miserandus, exspes, attonitus, qui vel umbras ex-  
timescat, ut nihil dicam futurum iudicium. Ec-  
quæ est autem mali fuga ? constans obnixus ad  
incursum. Ergo ut ingruit (nam potest ingruit, ne-  
que mirum, seu animi negligentia, honestam con-  
templationem non habentis ; seu inimiei invidia)  
extemplo saucius consurgito, precator, gemitu,  
lacrymator ; atque id evestigio dilabetur, tu in Do-  
mino conquiesces : nihil est enim tam animo suave

#### SERMO CXIV.

*De monastica vita, obnixuque in hæresi præsentis.*

Fratres Patresque, equidem haud vos absistam  
egregia hac nomenclatura ciere fratrum Patrum-  
que, verum id vobis, ac genuinum conscius nomen ;  
nam veri ii sunt fratres Patresque qui præ paren-  
tibus, fratribus, stirpe, patria, cunctis quæ spe-  
ctent, Deum complexi, congregem quamdam ineant  
vitam, quorum una mens, et animus, parens Deus,  
urbs cœlestis Jerosolyma. Scilicet ii vos estis, fra-  
tres Deo charissimi, atque ut Scripturæ verbis in-  
digitem, *genus electum, regale sacerdotium, gens  
sancta, populus acquisitionis, ut virtutes enuntietis  
ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen  
suum* <sup>80</sup>. Siquidem admirabile est vel in primis vita  
monastica lumen, in quam acciti, laudes promulge-  
mus cœlos tegentis majestate. Hic quidem certe  
prudentia, temperantia, fortitudo, justitia est, hic  
maligni tropæa, ac Christiana victoria, *quorum  
arma non carnalia sint, sed potentia Deo, ad de-  
structionem munitionum, consilia destruentum, et  
omnem altitudinem extollentum se adversus scientiam  
Dei, et in captivitatem redigentum omnem intelle-  
ctum, in obsequium Christi* <sup>81</sup>. Sin aspectabiles  
quoque adversarios tuemur, deformemus animo,  
quos quantæque Dei Ecclesiam oppugnationes in-  
vaserint ab ævo. Quorum oppugnari est, quorum  
despui, et interfici, nisi crucifixorum mundo ? At-  
que ut omittam vetera, omnisque in memoria no-

quam a vitiis tranquillitas ac libertas. Non Herum  
audimus dicentem ? *Omnis qui facit peccatum servus  
est peccati : servus autem non manet in domo in  
æternum, filius manet in æternum* <sup>80</sup>. Age vero qui  
liberati a peccato ad adoptionem evaserimus, rur-  
sum peccato mancipemur ? qui sub præpotentem  
Dei manum convenerimus, scœdus cum diabolo  
paciscamur ? Minime gentium. *Si enim quæ de-  
struxit iterum hæc ædifico, ait quodam loco Apo-  
stolus, prævaricatorem me constituo* <sup>81</sup>. Quamobrem  
ne prævaricatores sacrorum scœderum fiamus, neu  
diabolo servitutem serviamus, semel asserti, neu  
supplicium nobis quæramus : in diem supplicii, et  
apparitionis justique Dei iudicii, in quos exstet  
hæc sententia : *Vermis eorum non moritur, et ignis  
non exstinguitur* <sup>82</sup>. Quin consistamus in libertate  
in quam nos Christus vindicavit, dira exsecrati  
ostenta draconis, qui non huic sceleri tantum, sed  
aliis omnibus quotidie obnixi reluctemur, invidiam  
calcantes, malignitatem, odium fraternum, cætera-  
que cuncta facinora perosi, quo pœnis fugiendis  
æternis cœlesti regnum ineamus, per Christum  
Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium  
cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc, et semper in  
omnemque perpetuitatem. Amen.

#### ΛΟΓΟΣ ΡΙΑ΄.

*Περὶ τῆς μοναδικῆς πολιτείας καὶ ἀντιπαρτά-  
ξεως ἐπὶ τῆς ἡδὴ ἐνισταμένης αἵρέσεως (2).*

Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες, οὐ πάσομαι τούτῳ τῷ κα-  
λῷ ὀνόματι τῆς ἀδελφότητος καὶ πατρότητος προσ-  
αγορεύειν ὑμᾶς, εἰδὼς ὅτι ἀληθῆς ὑμῖν ἡ κλήσις, καὶ  
ἀψευδῆς ἡ προσήγορία· ὅντως γὰρ ἀδελφοὶ ἀληθινοὶ  
καὶ Πατέρες οὗτοί εἰσιν, οἵτινες ὑπὲρ γονεῖς, ὑπὲρ  
ἀδελφούς, ὑπὲρ γένος, ὑπὲρ πατρίδα, ὑπὲρ πάντα τὰ  
ὀρώμενα, ἠγάπησαν Θεόν· τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ζῶην  
καταδεξάμενοι· ὧν καρδία καὶ ψυχὴ μία· καὶ ὧν  
Πατὴρ ὁ Θεὸς, καὶ πατὴρ ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ. Τοιοῦ-  
τοι οὖν καὶ ὑμεῖς, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου·  
καὶ ἵνα ἀπὸ τῆς Γραφῆς ὑμᾶς καλέσω· *Γένος ἐκ-  
λεκτὸν, βασιλῆσιον ἱεράτευμα, λαὸς εἰς περιποίη-  
σιν· ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκό-  
τους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ  
φῶς. Θαυμαστὸν γὰρ ὅτι φῶς, ἡ μοναδικὴ πολιτεία,  
εἰς ἣν ἐκλήθημεν καὶ ἐν ἣ ἑξαγγέλλομεν τὰς αἰνέ-  
σεις τοῦ καλούσαντος ἀρετῆ τοὺς οὐρανοῦς. Ἐνταῦθα  
οὖν ἐστὶ φρόνησις, σωφροσύνη, ἀνδρεία, καὶ δικαιο-  
σύνη, ἐνταῦθα τὰ κατὰ τοῦ Πονηροῦ τρόπαια, καὶ ἡ  
ἐν Χριστῷ νίκη· *Εἶγε τὰ ὄπλα ἡμῶν οὐ σαρκικά,  
ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ πρὸς καθάρσιν ὀχυρωμά-  
των, λογισμοὺς καθαιροῦντες, καὶ πᾶν ἕψωμα  
ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ· καὶ  
αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοήν τοῦ  
Χριστοῦ· εἰ δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἠρωμένους ἐχθρούς  
ἐστὶν ἀπιδεῖν, ἐννοήσωμεν τοὺς ἀπ' αἰῶνος διωγμούς,  
οἱ καὶ ἡλίκοι κατέλαβον τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ,**

<sup>79</sup> Jac. 1, 15. <sup>80</sup> Joan. viii, 34, 35. <sup>81</sup> Galat. ii, 18. <sup>82</sup> Marc. ix, 43. <sup>83</sup> I Petr. ii, 9. <sup>84</sup> II Cor. x, 4, 5.

(2) cxv<sup>a</sup> est apud Cod. Nanius, pag. 165.



καὶ τίνων τὸ διώκεσθαι, τίνων τὸ τύπτεσθαι καὶ ἀποκτείνεσθαι· ἀλλ' οὐ τῶν ἐσταυρωμένων τῷ κόσμῳ; καὶ ἵνα τὰ πάλοι παρήσω, ἐπὶ τῆς παρουσίας γενεᾶς καὶ ἐπὶ τῆς ἤδη ἐνισταμένης αἰρέσεως ὁ λόγος· τίνες μέχρις αἵματος ἀντεκατέστησαν πρὸς τὴν ἀμαρτίαν ἀνταγωνιζόμενοι· οὐχὶ οἱ μακάριοι Πατέρες καὶ ἀδελφοὶ ἡμῶν, οἳ τε τῆς καθ' ἡμᾶς μονῆς, καὶ οἱ τῶν ἄλλων; Μοναχῶν οὖν ἀληθῶς τὰ τοιαῦτα κατορθώματα καὶ ἀθλήματα, καὶ μοναχοὶ τὰ νεῦρα καὶ ἔδραιώματα τῆς Ἐκκλησίας· καὶ τοιοῦτον καὶ τηλικούτον τὸ ἀξίωμα, ὅπερ κεχάρισται ἡμῖν ὑπὸ τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' ἐπειδὴ ὅπου οἱ θησαυροὶ, ἐκεῖ καὶ οἱ κλέπται παρεδρεύουσιν· θησαυροὶ δὲ ψυχῆς αἰ ἀρεταί, παρακαλῶ καὶ ὑπομιμνήσκω, γρηγορῶμεν, νήφωμεν, ἀσυλαγώγητοι διαμένειν, μήτε ὑπὸ ἡδονῆς κατασυρόμενοι, μήτε ὑπὸ θυμοῦ ἐξαγριαινόμενοι, μήτε ὑπὸ ἀπιστίας σκοτιζόμενοι, μήτε ὑπὸ ἀνεξαγορευσίας περιστατούμενοι, μήτε ὑπὸ τινος ἄλλου πάθους κατακυριευόμενοι· ἀλλὰ ἀνώτεροι τῶν ὀλεθριῶν παθῶν ὄντες, ἴωμεν προθυμίᾳ πρὸς τὸ ἐξῆς, μέχρις ἂν καταντήσωμεν εἰς τὸ πέρας τοῦ βίου. Τάχα λυπεῖ ἡμᾶς ἡ ἀκοή τοῦ τὰ μοναστήρια ἡμῶν ὑπὸ τῶν τοῦ Κυρίου ἐχθρῶν διαφθειρεσθαι· ἀλλ' οὐδεμίᾳ λύπη τοῦτο· μοναστήριον γὰρ καὶ ναὸς Θεοῦ ἡμεῖς ἐσμεν, πρὸς οὓς καὶ λέλεκται· *Ἐἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός*. Καὶ ἄλλως, ὅτι πολλάκις ἐφθασαν διαφθαρήναι ὑπὸ τῶν διωξάντων ἡμᾶς, καὶ πάλιν τῇ τοῦ Θεοῦ προμηθεΐᾳ, εἰς τὸ ἀρχαῖον ἐπανέδραμον. Τάχα καὶ τοῦτο σκεύει ἡμᾶς, ὅτι μὴ κατὰ πολλοὺς τῶν δεδιωγμένων κατέχομεν τὰ μοναστήρια, ἀνοικοδομοῦντες καὶ φυτεύοντες, καὶ ὅσα ἄλλα καλλιεργοῦντες· ἐγὼ δὲ τοσοῦτον αἰσχύνομαι· εἰ γὰρ ὑπὲρ τῆς καταστροφῆς τῆς πίστεως ὁ διωγμὸς καὶ ὁ σύμπας ἀγὼν, ταύτης μὴ ἐπανορθωθείσης, ἀλλ' ἔτι βλασφημουμένου τοῦ ὀνόματος τοῦ Θεοῦ, τῶν τε ἁγίων Πατέρων ἡμῶν ἀναθεματιζομένων, ἔστιν ἄρα τις ὠφέλεια τῆς ἐπικρατήσεως, καὶ οὐχὶ μᾶλλον βλάβη ὁμολογουμένη, καὶ προδοσία τῆς ἀληθείας; Τίς ἐξ ἡμισείας δραμῶν, ἤρην ἔπαθλον, ὅποτε οὐ τελείως δραμεῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως, διηγόρευται. Φησὶ γάρ· *Καὶ οὐδεὶς στεφανοῦται, εἰ μὴ νομίμως ἀθλήσῃ*. Οὐκοῦν ἀφέμενοι τοὺς τοιοῦτους διαλογισμοὺς, εἴπερ καὶ πάρεσι, καὶ πόρρω τὰ λοξὰ παραδείγματα ἀποπεμπόμενοι, ἐνὸς ἐχώμεθα μόνον, τῆς διπλῆς ἡμῶν ὁμολογίας τῆς τε κατὰ πίστιν καὶ κατὰ λόγον· πεποιθότες τῇ ὑποσχέσει τοῦ ἀψευδοῦς λέγοντος, *Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν*. Ἦς γένοιτο ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν (3).

<sup>85</sup> I Cor. iii, 17. <sup>86</sup> II Timoth. ii, 5. <sup>87</sup> Matth. vi, 33.

(5) Monasticam vitam magnis, ut vides, hic laudibus extollit sanctus abbas. Conqueruntur vero nostra ætate multi, quod regularia instituta, ipsique regulares despiciantur. Sed, pace illorum dixerim, nemo unquam erit tam insigniter potens, nemo captiosus eloquentiæ illecebris adeo pollens, ut quatuor hæc præstare possit. I. Ut regularia, sanctæque sedis iudicio probata instituta a sapientibus viris non commendentur, ab Evangelii derisoribus non contemnantur. II. Ut regulares qui ab

Astra ac præsentē hæresi exigatur oratio, qui vel in necem resistere, ineundo cum peccato conflictu? non beati Patres, fratresque tam nostri cœtus, quam externi? Ut monachorum procul dubio hæc facinora sint, et certamina, monachique nervi, ac tibicines sint Ecclesiæ. Atque hæc tanta est nostra dignitas, quam Dei Opt. Max. beneficio tenemus. Sed quoniam ubi sunt thesauri, indidem fures subsident, animique thesauri sunt virtutes, hortor, et admoneo, vigilemus, atque excubemus, qui indrepti maneamus, non voluptate pessum euntes, non furore efferi, non perfidia caligantes, non confitendi insolentia æstuant, non alio quoquam scelere possessi; quin lethalibus vitiis intacti, alacres ulterius nitamur, dum vitæ metam pertingamus.

B Jam dolet fortasse rumor monasteria nostra ab dominicis hostibus corrumpi? Enimvero haud is dolor est, postquam monasterium, ac Dei fanum nos sumus: in quos et edita hæc sententia est: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*<sup>85</sup>. Et alioqui sæpe ab inimicis corrupta, Dei procuratione, in antiquum redierunt. Sed fors inquietos habet quod monasteria non tenemus æque ac, plerique capite, fortunisque petiti, ædificiis, rusticatione et id genus elegantia carentes? Equidem tantum abest ut commovear, valde ut me pudeat illorum: nam si omne in eversa fide discrimen, ac conflictus vertitur, ea non instaurata, sed adhuc contumeliis divino lacerato nomine, sanctisque Patribus devotis, quod retentionis compendium? imo apertum est dispendium, et proditio veritatis. Quis medio cursu honorarium tulit? postquam haud integer modo, quin legitimus editur cursus: ait enim: *Nemo coronatur, nisi legitime certaverit*<sup>86</sup>. Quare his dimissis, si qua exstant, cogitatis, producisquo depravatis exemplis, unam urgeamus geminam nostram confessionem, qua fidei, qua sermonis, freti hoc ejus promisso, qui certo stipuletur: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*<sup>87</sup>: quod et consequi mereamur Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio, cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

ὁμολογίας τῆς τε κατὰ πίστιν καὶ κατὰ λόγον· πεποιθότες τῇ ὑποσχέσει τοῦ ἀψευδοῦς λέγοντος, *Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν*. Ἦς γένοιτο ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν (3).

D instituto desciscunt, cum a sapientibus, tum ab insipientibus non vituperentur. III. Ut in regularium cœtibus nullus sit non probus, nullus non propositi tenax ac disciplinæ. IV. Ut qui sui ordinis regulas observant, eos maxima Christianorum pars benevolentia non prosequatur, minime vero, eaque abjectissima et execrabilis hominum pars, nempe increduli, atque athei, illos odio, aut saltem contemptui non habeant.



## SERMO CXV.

*De mortis recordatione, obituque fratris Jacobi ac de pœnitentia.*

Fratres Patresque, quandiu ad vos disseram nauici, vosque jejunam hanc audietis vocem, quæ admoneat officii? non et nunc fratrum duo, Jacobus, ac Basianus, alter ad Deum concessit, alter in foribus versatur mortis? Num immortales nos erimus; non idem ducemus quod prægressi, poculum? Ut bene cum eo agatur, porro qui id assidue revolvat vitamque suam meditationem comparet mortis; ubi est enim mortis meditatio, proculdubio vigor, stimuli, lacrymæ, suavitas, nitor, studium potiorum, et quæ orbem superent, consequuntur. Quæ simul absunt, ibi tum pravæ cogitationes oriri, quas in Evangelio Herus vetuit, quæ captos lancinent, ac vitæ amantes pertrahant in errorem. Nobis quidem recordanda semper et assidue mors est, operaque danda ne fœdis obeundis libidinibus, quin ex divina voluntate reliquum vitæ in carne tempus peragamus, nam pol anteactum sufficit curriculum quo corporis, animique desideriiis satisfacimus, satis superque est structarum diabolo fraudum, qui ab honestis studiis diversos in nefariis cupidinibus susque deque jactarit, unde emolumentum cepimus nunquam, contraque damnum, ac infamiam; nunc tempus est acceptum, diesque salutis. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*<sup>88</sup>, sanctus Spiritus clamat, etenim prona in vitium anima adversa natura nostra, quæ nec diurnam stabilitatem haberet, benevole nunc, et hodie præstituit, ne cui liceret pœnitentiam defugere, quin seu graviter, seu leviter consceleratus, seu olim, seu nuper, salutari audito præconio in dies se, minime cunctatus, instauraret, atque renovaret. En quæ Dei Opt. Max. benignitas, celerem noxæ medicinam facilemque moliri. Curantur quidem certe et secundum carnem saucii, sed pol lente, quo persanati cum hoste iterum confligant, nobis cum vulnere conjuncta medicina est modo si propulsare inimicos evestigio velimus, Quamobrem ne committamus quin diurna obeunda pœnitentia renovemur animo, neu occasionem præbeat segnitix acceptum seu mente, seu verbis, aut actione vulnus, sed quoties occumbamus, toties resipiscamus, Dei reveriti judicia, et omni ope flagitia deprædati. Enimvero Moses, Dei servus, in monte explicans manus, Amaleciten profligare, qui simul relanqueret, ibi cum hic præpollere; ad eundem modum et mens sceleribus appetita, superato ceu monte precum, sensisque ad Deum, quasi quibusdam manibus protentis, Amaleciten in fugam vertat, qui obtutum fugiat oculorum; sin remittat, imperium patiat. Ecquid facto opus est ergo! quid aliud, quam manu ingruente hostili, mentem juxta ac manus ad Deum tendere, qui eripere queat a morte? Qua re profugis inimicis, nos adorea obligati victoriæ cœlesti regnum eriscemur per Christum

A Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO CXVI.

*De aspectabilibus, et inaspectabilibus. quæ in manibus sint periculis ac miseriis, vitæque adipiscenda felice.*

Fratres Patresque, jam jam huc spiritali appulso fratre, domino Eustratio, haud vos arbitror citra quæstiones consistere, adventus causam sciscitantes, neque mirum cum occasio subsit, quæ quæstiones eas provocet. Sed ignoscite, non omnibus semper fas detegi negotia est, nec nisi fratrum primoribus, quod ab ipso Domino nostro Jesu Christo docemur, qui nunc sanctis omnibus discipulis cœlestis regni aperit arcana: nunc assumptis Petro, Jacobo, ac Johanne, iis solis exhibet spectacula. Quanquam ut partim sciatis vos quoque, ob Ecclesiam est adventus: profitetur namque, ut a consciis, et concilii tempus, et fidei instaurationem, et exsulum revocationem. Ad quæ accurate respondimus quæ deceret, nihil dissimulantes, Dei beneficio, quod edici oporteret, unde et conjecturam facimus iterum nos pericula ac miseras manere. *Sed nihil*<sup>89</sup> *hofum vereor*, ait beatus Apostolus (lepidum est enim hæc ejus verba usurpare), *nec facio animam meam pretiosiore quam me, dummodo consummem cursum meum cum gaudio, et ministerium quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei*<sup>90</sup>, idem et nos fratres, pro data fidei mensura sentiamus, loquamurque, qui in martyriis pro Christo gaudeamus, ad supplicia parati, nec, crebro periculis defuucti, rursus periclitari detrectemus; quin audientes, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*<sup>91</sup>, animum inducamus multa perpeti, et perferre, quo felici hoc ingressu potiamur. Ac fors nihil accidet Dei misericordia diri; expedit tamen constituta habere quæ formides ante terrorem, ut egregie, bello commisso, in aciem prodeamus; facilis est enim animus vinci imparatus, qui haud procinctus derepente ineat certamen. Jam quid terrores commemoro? in dies certamen, in dies prælium agitur, non perspicuum, sed imperspicuum, nec corpus, sed mentem vulnerans et interimens, quod animi tanquam lumbis succinctis, ac justitiæ armis induti, ceu eximii Christi milites, alacres nec oscitantes depugnemus. Nemo dormiens trophæum statuit, nec resupinatus messem colligit; quin ingens utrinque opus est sudor, et industria; sin illic se ita res habet, quanto magis in nostrate bello, ubi missilia quasi quidam radii fulguris incumbant, hinc arietans nefaria libido, inde ambitio, hinc invidia, inde blasphemia? Artesque diabolo multæ, animum tentanti quaquaversum labefactare, ac velut devorandum poscere, ut desperata quilibet vita erumpat in hæc verba: *Nisi*

<sup>88</sup> Psal. xciv, 8. <sup>89</sup> Act. xx, 24. <sup>90</sup> ibid. <sup>91</sup> Act. xiv, 21.



quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea<sup>92</sup>, etsi in his omnibus superamus per eum qui nos adamavit, sane in Deo faciamus virtutem, ut Davidice loquar, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros<sup>93</sup>: ipse est enim pax nostra qui fecit utraque unum, et medium parietem maceris solvit, inimicitias, in sua carne<sup>94</sup>, id est, qui victum diabolum proculcavit, parta hinc nobis victoria quoque præmioque victoriae coelesti regno condicto, quod assequi omnes contingat per Jesum Christum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CXVII.

*De fratris Memnonis lapsu. Neu solitarii degamus pestiferis noxis evadendis, quæ per sensus contrahantur.*

Fratres Patresque, equidem cum vos undique satago cohortari, hinc inde occasiones corrogans; tum audito in Bithynia quiddam insolens accidisse, sermonem hinc exordiar. Ecquid contigit vero? Aiunt pardalim non unam, quin duas, ac tres, repente visas, non boves habere infestos, non oves, non aliud animal ullum, sed homines solum, ut oppidani vehementer exterriti, solidam se noctem intra ædes concludant, dum luceat dies. Sane indicium id est iræ divinæ. Sed dicam in primis quo hæc mihi petita serviat oratio. Enimvero insunt in nobis feræ permultæ, et pol atroces, scelesti spiritus; atrox fera libido est, furor, invidia, vanæ gloriæ cupiditas, ac quæ alia sunt scelerata facinora, quæ haud nocturna, quin diurna audacia devorandum animum captent, et impetant frequentes. Ut beatus apostolus Petrus edicat in hæc verba, *Sobrii estote, vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens devorare quemquam*<sup>95</sup>; rursumque sanctus David deprecabundus scribat: *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat*<sup>96</sup>. Jam quid agendum in iis? quid aliud, quam in coelestis præsidio Dei stabulandum, intraque sensuum errores resistendum? Etenim cum oculi pendent vagi ac sublimes, pestiferas aures fabulas admittunt, os infanda loquitur, mens foedis inerrat; tum animus vero ceu per tesqua palatus, quæ divina nulla procuratione tenentur, feris occumbit. Id adeo et nunc Memnon passus miserandus, diabolo prædæ est, cujus non cruentam vestem intueor, ut Jacobus olim patriarcha Josephi sui filii, quin interemptam peccati mucrone mentem. Scilicet parens mortis peccatum est: hoc decessorem Adamum, immortalem gratia, mortalem reddidit; hoc interneccionem diluvio attulit mundo; hoc Sodoma, ac Gomorra<sup>97</sup>, et vicinas incendit urbes; hoc quemlibet nunc quoque æternæ morti concipientem se tradit. Quod fugiamus, fratres, ut ignem, atque utinam

agni potius, ferro, bestiis, quam lethabilibus vitiis occumbamus. Age vero unde hic corruit miser? non aliunde, quam qui solitarius degeret; neque enim veritas fallat, Væ, accinens, soli, qui si cadat, Non habeat se sublevantem<sup>98</sup>. Atque id equidem veritus, haud omisi quin ei juxta, ac cæteris edicerem, quod edico in præsentia quoque, ne quis degeret solus, neu prodire deaveret, neu otiose huc illuc itaret, neu cum feminis consuesceret, amore, velut igne, hinc accendendo. Quibus qui audiens dicto obedit, et obsequitur, in Domino sospitatur, qui detrectat, a diabolo captus, interit. Enimvero etsi ab ejus sanguine iusontem me conscio, quem quidem haud celaverim quin imminuentem prædicerem mucronem, tamen non possum non ejulari, ac tanquam proprio ingemiscere membro. Quin habeo, charissimi, quod accusem vos quoque; quid ita? Scriptum est in Actis apostolorum: *Factum est quasi horarum trium spatium, et Saphira uxor ipsius nesciebat quod factum fuerat*<sup>99</sup>. Certe in publico acta fabula est, et frequente vulgi corona. Sed erat invidem nimirum circumspectio, molestia, Dei reverentia; hic aliquot me superioribus diebus secreto ad vos quiddam locuto, statim dissipatus sermo est, inde Constantinopolim, hinc Prusam usque. Ut mihi quidem consilia in angustum cogantur, seu loquenti, seu non loquenti, quod efferantur quæ vulgari minime oporteret; non loquenti quod hæreo qui agam recte, non usus consultoribus. Itane desipimus, fratres; itan' impotentia linguæ intempestive in periculum ruimus? nequaquam id est verorum discipulorum, sed hostium. Ne ineptiamus tantopere, quæso, quin circumspectio deinceps, modestia, Dei reverentia, ac regula demum adhibetor, quo, peracta ex Dei libidine vita, ei placentes, hæreditatem ineamus æternorum bonorum per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CXVIII.

*De irreclini confessionis et obedientiæ tuenda constantia, ac suis cuique muniis accurata contentione vigilique gerendis.*

Fratres Patresque, alii aliis rebus narrandis oblectantur, et se ostentant, miles bellieis, nautæ marinis, coloni rusticis, singulique singulas secuti artes ac scientias, iis quæ conferant ad singulas; neque est, breviter, quisquam, qui non studiis capiatur suis. Nostræ haud sane in his positæ gerræ, et urbanitas, postquam nec sunt carnalia nostra, quin de animi salute, de placendo Deo, de hinc abscessu, de instauratione futura, atque ut Apostolus loquitur, *quæcunque sunt vera, quæcunque augusta, quæcunque justa, quæcunque casta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus*<sup>1</sup>, hæc nobis fabulæ, hæc

<sup>92</sup> Psal. xciii, 17. <sup>93</sup> Psal. cvii, 4. <sup>94</sup> Eph. ii, 14. <sup>95</sup> I Petr. v, 8. <sup>96</sup> Psal. vii, 3. <sup>97</sup> Gen. xxxii, seqq. <sup>98</sup> Eccl. iv, 10. <sup>99</sup> Act. v, 7. <sup>1</sup> Philip. iv, 8.



studia sunt, quo quid festivius simul, ac beatius? A Id adeo ex amborum videas sine, nam illorum ut origine, sic sine ad hoc ævum soluto, (Ubi enim est sapiens? ubi scriba? ubi disceptator hujus sæculi? quis humanis officiis clarus perstitit in vita, ut cum sonitu non memoria perierit cunctorum?) noster et ingressus, et finis indissolutus, ac perennis habetur. Scilicet amplexos se virtus efficit deos, etsi vera hæc ejus sententia est: *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes*<sup>1</sup>. Hui quo affecti beneficio sumus: hui quam experti liberalitatem! ut ovabundis, ac Servatori Deo jubilatis serio laudes sint obmovendæ, et frequentandis carminibus vitulandum, quos jam olim ad incolumitatem delegerit, animi præditos sanctimonia, veraque fides Dominoque nostro Jesu Christo gloriæ per hunc habitum quærendæ præstituerit. Ergo stabiles in fide consistamus, fratres, confessionem irruptam teneamus, genuinam obedientiam servemus, virginitatem illæsam tueamur, unum amorem sponsum habeamus Christum generis hominum formosissimum, unam hæreditatem cœleste regnum, supernæque bona Jerosolymæ; cæterum caro, sanguis, divitiæ, gloria, ac quæ alia sunt inania, valento, et a nobis longissime abscedunt. Enimvero quandiu in hac carne sumus, præsto est bellum, neque enim fuerit virtus, ni præsens sit bellum. Sin accidit manucapi cogitatis, nihil miremur, quin ocius resipiscamus, unum timentes quod exerceatur peccatum, ut mortiferum, ac prohibens a Deo et cogitatis cogitata repellamus, studiaque studiis vicissim exigamus. Neque hic vero torpescamus, postquam id agit dæmon, ut belli diuturnitate ignavos comparet quo obnixui defatiscamus: cui si instemus, ferendo, atque obsistendo diabolo, post victoriam cernamus parata in cœlis laurea, Dei perhibente germano, *Beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se*<sup>2</sup>. De cætero, gaudete in Domino, fratres. Qui munia geritis, haud ignoratis quod ex iis præmium petatur; qui disciplinas exercetis, cavete ne his Deum irritetis. Tempus est opificii? opificia obeamus. Vacatur? disciplinam obeamus. Sin est in opere frater, tu in disciplina, non amicum te geris, quin alienum exhibes fratrum. Non Aposto-

gesta perennem vitam eriscamur per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXIX.

*Qui divinis exsequendis præceptis Deum exquirat, nequaquam consternari sub decessum ad dæmonum adventum, deque mortis recordatione, et amore,*

Fratres Patresque, proposita communi multa omnium morte, ac cœlestis spe regni, et ignis gehennæ minis, ecquid fas est aut me alloqui, aut vos cedere ac pigere auditus? Minime vero, quin utrumvis assidue sit agendum, et eo magis, quo imminentem contuemur diem; nam omni homini quavis ætate dies imminet supremus, ac *terribilis quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, qui consumpturus est adversarios*<sup>3</sup>, uti loquitur sacer Apostolus. Ut deinceps minime sit torpendum, nec vel diecula segniter atque inscieniter agenda, quin vigilemus intenti, exquiramus Deum, ut est in Psalmis<sup>4</sup>, incolumi animo futuro. At qui exquiratur Deus? nimirum exsequendis præceptis, ad beatitudinem præscriptum, hoc est, submissione, mœstitia, mansuetudine, mentis munditie, pace, ac sanctimonia agitando. Quibus præstandis qui exquirens deprendatur, ne is invenerit Deum, et invento, sub decessum securus, minime consterneretur ab dæmonibus, aut angelorum trepidet adventu; ceu amicos aggressus, lætusque abiens ad Herum, qui egregium viaticum, bonam conscientiam deportet; cæterum qui se nequaquam sic instruxerit, in calamitates inextricabiles irruat necesse est; non habens quo respectet, aut qui se tutetur. Hic quidem certe qui in carnificum, exempli causa, incidat manus, aut barbarum mare, aut succusum solum, aut aliam quampiam necessitatem funestam, haud se evasurum desperat; illic spes omnis erepta est salutis, opem ferente ac defendente nemine, non angelo, non homine, non patre, non matre, non fratre, non amico, non alio quoquam e cunctis, ingentique contracta trepidatione, et inconsolabili dolore, miser hinc abit animus. Quæ cum terribilis descripta est oratio, tum rei veritatem non attingit, scilicet ea esse perhibentur quæ sui amantibus, ac refractariis bona, et adversa comparavit Deus, quæ nec oculus spectarit, nec audiverit auris, nec mortalium cuiquam venerint in mentem. Ea propter, fratres, cohortor inoblitam mortis agitari memoriam, membrisque hac interfectis terrenis, animo voluptatum erui cupidinem: quo enim nobis studium carnis, unde haud fructum capiamus, contraque cruciemur, ut revolubile omne est peccatum? Intueamur, si videtur, in monumenta visuri quem ambimus pædorem, nam ea est mortalitas omnino, quæ ordiens e corruptela, in corruptelam desinat, eunctaque hominis gloria quasi quidam flos herbæ est. virtus

<sup>1</sup> Psal. 81, 6. <sup>2</sup> Jac. 1, 12. <sup>3</sup> 1, Cor. viii, 12. <sup>4</sup> 1, Cor. xiv, 40. <sup>5</sup> Hebr. x, 27. <sup>6</sup> Psal xxviii, 5.



indirepta habetur. Eaque sancti complexa, Deum cepere quorum sunt in cœlis spiritus, sacra in terris averrunca corpora, miraculis, et ostentis, ac prodigiis operata. Enimvero, ut incidit de miraculis sermo, exercentur miracula nunc quoque quemadmodum audimus, neque mirum, postquam spiritus, quæ tum fangebatur, gratiam ne nunc quidem religio est feriari; sed non temere credendum est rumoribus, siquidem exstat hæc sententia: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*<sup>8</sup>. Sane cum multi in orbem venere vates, tum permissi sunt hæretici complures, scitaque retrectantes divina, et olim et nunc, quibus compertum est providentiæ modis, ostenta, ac prodigia patrare, ut hinc demoveri, et abduci minime sit necesse, quin veri discipuli, ad proditam ab Hero notam explorandi sint. Quænam ea nota est? *In hoc, inquit, cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*<sup>9</sup>. Unde Apostolus edoctus scribit in hæc verba: *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; et si habuero prophetiam, et noverim mysteria, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*<sup>10</sup>. Vides in quod fastigium charitatis? ut regina est cunctis antecellens Spiritus donis? quæ nec dilabi unquam potest, mirionibus tandem dilapsis, posteaquam in Evangeliiis ait Dominus: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo demonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem*<sup>11</sup>. Quam horrendum, me hercules, iudicium, ac peracerba sententia est! Quod superest, fratres, charitatem, et ei conjuges fidem spemque sectemur, acturi quam qui miracula designent securius, verique Dominici agniti discipuli, cœleste regnum initari per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXX.

*Committendum non esse ut mundo crucifixi vitæ inhiant ineptiis, quin proficiendum in melius.*

Fratres Patresque, dies horarum, septimanæ dierum, menses septimanarum, anni mensium labuntur instar, tempusque decurrens ad supremum Domini nostri Jesu Christi adventus diem incitat promiscuos, quo ejus oculis nuda sunt, et aperta cuncta, ut est in litteris; nec jam est cur incassum porro æstuent mortales, auro, ac cohortibus rex præfidat, suppellectilem, et pecuaria venditet dyna-

A sta, in incertis divitiis spem collocet avarus, vitiorum inhæreat lacunis voluptarius, postquam ita res ferunt, ut lugendum sit in dies, ac mœrendum, et animus pro virili expurgandus, priusquam mortis appetat iudicium, quo pœnas evadamus, quæ refractariis impendent. Hi enimvero, ut cum Scriptura dicam: *Quæcunque ignorant blasphemant, quæcunque autem naturaliter tanquam bruta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ iis, inquit, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt*<sup>12</sup>; Sed vereor ne hæc eos sententia proscindens, præclara nomina, impetat nos quoque; nam cum ob paternam hæreditatem alius confligat, longis susceptis itineribus, alius stipes sollicitè satagat augere, alius avare ac monacho indigne, hoc et illud urgeat mercari, scilicet non eadem ii supplicia merentur? Jam habent quo se illi defendant, etsi frigide, tamen quod uxores ac liberos procurent; nobis, qui mundo crucifixi unam habeamus crucem thesaurum, quæ purgatio relicta est quin his admissis gravius puniamur; siquidem scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur*<sup>13</sup>; et: *Judicium durissimum in his qui præsumunt fiet*<sup>14</sup>; ac rursum: *Cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*<sup>15</sup>. Agite vero, insulsissimi mortalium, itane dediti nugis falsa quæritis, ac patrocinio sceleribus invento, causas, non causas, exilia prætexitis? *Dispiciate in antiquas generationes, et videte, aiunt Litteræ, quis speravit in Domino, et confusus est? aut quis permansit in timore ejus, et despexit illum*<sup>16</sup>? Non Abrahamus Dei jussu patria extorris, parens multarum factus nationum est? Non Jacobus patriarcha solo instructus pedo in Mesopotamiam degressus, dives revertit? Non Josephus venum abductus in Ægyptum, regi par evasit? Non vates Elias pulsus ab Jezabele, non pera comportata, per corvum pascitur? Non apostoli nudi ac inermes ad præconium profecti, terrarum orbem devicere? Non ipsi vos superioribus annis capite et fortunis oppugnati, certas stipulationes probastis? Unde hæc igitur improbitas, quæve hæc ineptia est? Enimvero, ut videtur, Israelitarum instar priscorum, Dei obliti beneficia sumus, Christumque tentamus, ut eorum quidam tentarunt. Sed quid de iis effatur? *Quadragesima annis proximus sui generationi huic et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas: ego juravi in ira mea si introibunt in requiem meam*<sup>17</sup>. Videte, fratres, ne eadem nobis dicantur, qui ingrati erga beneficium, præsentī fortuna iniquius utamur. Hinc quiescere pedes minime sinuntur, huc illuc palantum, hinc iudicia vicissim, ac verborum conflictus urgemus, proinde ut extranei, hinc soli, nec cum fratre degimus. Sin cum fratre, imaginario quidem certe, qui enim possis, comite ascita dulci, avaritia, cum qua paciscare, unanimem tenere fratrem?

<sup>8</sup> I Joan. iv, 1. <sup>9</sup> Joan. xii, 35. <sup>10</sup> I Cor. xiii, 1-3. <sup>11</sup> Matth. vii, 22. <sup>12</sup> Jud. x, 11. <sup>13</sup> Sap. vi, 7, 14. <sup>14</sup> Ibid. 6. <sup>15</sup> Luc. xii, 48. <sup>16</sup> Eccli. ii, 11. <sup>17</sup> Psal. xciv, 10, 11.



Minime gentium. Væ iis, ceu reprobis, nam haudquaquam de vobis, fratres, aut hic illic divine obeuntibus loquor, sed de iis qui profligate, neque ad præscriptum quod deformavimus vivant. Qui ut vel tandem redeant ad frugem, rectique gradiantur, precemur, quo pereat nemo, quin omnes incolumitemur per Christum Jesum Dominum nostrum; cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXI.

*De mortis recordatione, seneque quodam venerando defuncto.*

Fratres Patresque, cum multæ utiles historiæ sunt animo stimulando, tum æque utilis habetur nulla ac mortis promulgatio; nam terribile dictu, et cogitatu arcanum, mors est. Igitur et nunc sene defuncto venerando necesse est porro ad communem frugem de eo pauca recensere. Sane a pueritia in senectutem profundam vita obeunda monastica Deo servivisse, luculentum seni encomium est; deinde quod inter confessores est illustris, qui comprehensus ab impio Leone ad satietatem pœnas dederit, et tergo omni, ac pectore trecenis loris conciso, et facie pugnis alapisque contusa, ut duo etiam dentes exciderint. Tandem aliquot post annis, e carcere eductus ac liber dimissus, ex instituto priori (stylita enim fuerat), rursum se abdidit in cellam, multisque defunctus miseris et angustiis, supremo vitæ curriculo evoluta, animam reddidit, ut impius scelere, se obstrinxerit, nequidquam, athleta ad Deum laurigero profecto. Nos enimvero, fratres, quid agamus quidve cogitemus? Quanto tempore supervivemus, longo, an exiguo? Scilicet norit quisquam quid cras pariturum est? Pol monumento satis superque mors est, postquam quod vidimus in fratre, haud multo post accidet in nobis, nemine metam transcendente mortis. Itaque mortis porro obliviscamur nunquam, ne perpetua opprimamur; neu præsens amemus ævum, ne cum Deo inimicitias agitemus, siquidem scriptum est: *Qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*<sup>18</sup>. Fugit vos, inquam, mundi consuetudinem haud permittere ut animus studio ducatur exitus e corpore. Nam quemadmodum Israelitæ satagebant, qui erepti ex Ægyptia servitute promissum solum invaderent, ad eundem modum nitamur et nos oportet, ut e servitute quadam corporis, quæ corruptela obeatur, egressi in penitus velum penetremus, quo anteambulo pro nobis Jesus irrupit, hoc est, in cœlestis Jerosolymæ bona. Igitur mundi adhuc nugas detestemur, virtutes avide contrahamus, dias mercemur opes, preces, lacrymas, puritatem, nitorem, innocentiam, quæ vitæ sunt viatica pereonis; cæterum escam, potum, vestitum, et quæ alia sunt necessaria corpori amplectamur, quatenus vitæ, ac functioni serviant Dei præcepto-

rum. Quo in studio si curriculum exigemus, diurnas ferias agamus læti in dies, et impavidi mortis, nec si vel mille eruciatus intendentur, securam conscientiam demergant; sin maligni, invidi, pervicaces cæterisque imbuti sceleribus degemus, heu fucos et ludibrium! Scilicet ea diurna nex est, ac iudicium ante iudicium, tum autem mors ingruet quasi quidam rugiens leo aut amens ursæ. Jam qui æternam perniciem miser exantlet animus, exstat sane hæc sententia: *Si iudicium primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt*<sup>19</sup>? Quare trepidi semper, ac solliciti, fratres charissimi, firmi, et immobiles consistamus, assidue macti in opere divino, certe nequaquam frustra esse eum in Domino laborem. De fratre Socrate, scitis quemadmodum venerit ab Oriente, probanda obedientia tarditatem excusans. Eum volebamus hic retinere, ut spectatum fratrem; sed quoniam scriptum est: *Beatus qui habet semen in Sion, et propinquos in Jerusalem, rursum redire eum sivismus, per quem misericordiam pararemus, etsi est quod gaudeamus, fratres, constitutum a sanctissimo patriarcha Sioni e cœtu, ac republica nostra, qui in Ecclesiarum matre sacerdotio et œconomia fungeretur. Quod superest, sanctus Deus tum eum tum nos conservet, omnique impleat benefica voluntate, ac præpotente fidei propagatione, illustrando per nos Domini nostri Jesu Christi nomine, nobisque per eum secundum gratiam Dei denique nostri Jesu Christi: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.*

### SERMO CXXII.

*De serviendo fortiter ac constantiter Deo, studiique curriculo monastici contente exigendo.*

Fratres Patresque, eximium studium a pervigilio ad audiendum sermonem coeuntum, atque e robore in robur grassantum; quamlibet enim haud suppeditat nobis par oratio dicendo, tamen posteaquam ad sanctorum Patrum exemplum frequentatur, non abs re est, quin vel in primis utilis. Enimvero in sermone ac doctrina Patres laborabant, beatum Apostolum imitati, cujus in acis hæc sunt verba: *Per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum*<sup>20</sup>; idemque alibi: *Qui bene præsent presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina; dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti; et Dignus est operarius mercede sua*<sup>21</sup>. Videtin' ut necessaria doctrina est? nam quemadmodum stirpes edendis fructibus scaturiginem postulant aquæ, sic virtute exercenda magistri vocem discipuli, atque ut eæ haud irrigatæ arescunt, ita et hi non edocti deficiunt. Qua de causa equidem monere instigor, et hortari, ac pol interdum refutare, et incessere,

<sup>18</sup> Jac. iv, 4. <sup>19</sup> I Petr. iv, 18. <sup>20</sup> Act. xx 31. <sup>21</sup> I Tim. v, 17, 18.



si qua mecum vos quoque servare possim, vos quidem, fratres, in Domino valentes, ac præpotenti contracto robore, armaturam induite divinam quo diaboli fraudibus obsistere queatis, qui haud dormiât sane, quin adversum nos vigilet, et eo magis, quod animos conspiciat luctæ incumbentes. Qui ubi invadat (nam invadit noctu, atque interdiu), stemus animosi, accurramus ad eum qui e morte liberet peccati, precibus adhibendis contentis, nec sine fervidis lacrymis, ac facesset ocius inimicus; scriptum est enim in Psalmis: *Invoca me in die tribulationis tuæ, et eruam te, et honorificabis me* <sup>22</sup>. Vultus infixit hostis? at Dominus sanavit. Turbavit ille? atqui imperavit mari, sileret, conticesceret; fluctuantes in nobis cogitationes sedavit. Atque o munificentiam! vix invocari cœpit, cum benefice ac liberaliter prævertens, vota tribuit precanti, nubequæ quadam tristitiæ discussa, egregiis animi sensis ineundis, luce afficit mentem. Et quid non agat scilicet; nam qui nostræ causa se obtulit in necem, ac pol crucis, qui potest non una secum omnia largiri? Ut insistendum sit, fratres, qui ei fortiter serviamus, nos a lapsibus revocantes, studiique curriculum monastici contente decurrentes, certi extremo in certamine repositas coronas. Ergo utamur confessione frequenti, postquam frenum non peccandi confessio est; utamur submissione, qua ignea maligni tela frangamus; utamur fide, sine qua Deo placere nefas. Jam miramur forsitan, ac demiramur, quemadmodum scedis cogitatis, quamlibet certantes, capiamur, sed patimur id nimirum ob prævaricationem in Adamo, nam *Regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverant in similitudinem prævaricationis Adæ* <sup>23</sup>. Atque in naturam libidinum lues et contagio pervasit, quæ etsi in Christi adventu regenerationis lavacro, sanctique Spiritus instauratione sanata in antiquum statum revertit, tamen quæ corrupta semel ægritudinem contraxerit, facile negligentia ruit in libidinem. Enimvero ii sancti evasere, reverentia, et amore divino temperata quasi quadam mentis acie, qui cum ad præsidium sibi sufficerent, tum manum aliis porrigerent, dæmonia fugarent, infinita ederent miracula; quorum etsi a vita absumus longe, imitari quidem certe, quantum fieri potest, conemur, clemente Deo tam nostrum exile munus accepturo, quam illorum præclara facinora, ac regnum utrisque suum præbituro per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXIII.

*De itinere spiritali impigre ineundo, vitæ hic aversandis deliciis, deque mansionis beatitudine nostræ.*

Fratres Patresque, solent viatores instigare vicis-

<sup>22</sup> Psal. XLIV, 15. <sup>23</sup> Rom. v, 14. <sup>24</sup> Joan. XIV, 2, 4. <sup>25</sup> Psal. LXXXIII, 3. <sup>26</sup> Psal. XXVI, 4. <sup>27</sup> Amos, v, 18. <sup>28</sup> Rom. II, 5.

sim, et excitare ad iter incumbentes, nec dextra, sinistra deflectere, sed via regia grassari, ac pol cibum, potum, somnum capere moderatum, quo diætæ temperamento itineris ærumnas leviores comparent. Quorsum hoc mihi proœmium? Plane et per vos capitis, qui viatores quidam in hæc vita simus, plenum ingressi mille iter laboribus, cohortari, et animare invicem in certaminibus oportere, minimeque palabundos excurrere; cibi, potus, somni continentes, ne hinc gravati torpescamus ad iter; nec non vitæ hic deliciis aversis, ac viatores nequaquam huc illuc se convertant, dextrorsum aut sinistrorsum, iterque solum urgentes, quo festinent diversorium respectent. Ac nos diversorii felices, seu potius mansionem felicem, quæ haud temporaria, sed æterna, neque in caduco, sed immortalis posita solo est, ubi gaudium, pax, triumphus agitetur, de qua Domini in Evangeliiis hæc sunt verba: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quominus dixissem vobis: Vado parare vobis locum, et si abiero parare locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis* <sup>24</sup>. Viden' ingens, et incomparabile promissum? Quis non exurgat porro? quis non irruat? quis non avidus sempiterna hæc tabernacula invadat? quorum incensus desiderio David canere: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini* <sup>25</sup>. Nam equidem jucunda ea tabernacula sunt, hic quasi quidam dedititii obimus, aliquantillum constante vita, postquam et sæculum hoc omne pro diecula ad futurum ducitur. Ut nihil sit cur cum mundo consuescamus porro, aut præsentibus inhiemus, aut non dicam in hoc et illud studium feramur, sed ne in cœli quidem, terræ, maris, lunæ, solis, stellarum, ac quæ alia sunt conspicua; quæ enim mox deseremus, iis quid nequidquam inhæremus! *Unam petii a Domino, inquit, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini et visitem templum sanctum ejus* <sup>26</sup>. Quo qui pervaserit, nã iis liberatus sit ab ærumnosa ea die, de qua ait vates: *Ut quid vos quæritis diem Domini? ea quidem tenebræ, et non lux est* <sup>27</sup>. Quin, beatus Apostolus quoque diem appellat iræ, scribens, in hanc sententiam: *Thesaurizas tibi iram in diem iræ, et revelationis, et justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* <sup>28</sup>. Atque ut exemplo rerum quæ in nos incurrant ærumnosæ ejus diei simulacrum quoddam proponam, revocemus ad memoriam, si videtur, hominem jamjam huc appulsum, qui a dæmonio multatus strangulabatur, ardens, et animi æstuans, ac vociferans dies noctesque, statum, et quietem obtinens nullam. Quod hominis leve supplicium censetis? Minime gentium. Jam id somnium cum sit adfuturum, illud, fratres, qui perferamus, ignem inextinctum, sine morte vermem, mille alia perennia tormenta? Ve-



rum non nobis, Domine, non nobis, quin fas sit A salutem, nisi repressis evestigio turbis, consequamur. Quorsum nos autem turbari, ac fluctuare, et naufragium extimescere? cur non tranquilla pace fruimur, sed spontaneum in nos atrox exitium conflamus? Non arcessimus insaniam qui e portu profecti sub tempestatem, fluctibus mergantur? enimvero multo nos sani putandi minus, qui in vitiorum tempestatem ultro ruamus. Scilicet quas non excitet procellas impotens in animo spirans desiderium? non huc, illuc impulsos tanquam suffocat, demersos? Non invidia pariter mentem externat, animum juxta ac corpus saucians? non pervicacia tenebras ingenii obducit, remissa et effeta comparans? non singula, breviter, mortales habitu quodam demovent naturæ, ac brutos moliantur? Itaque fugiamus porro, fugiamus pestifera vitia, fratres, ne in nos quoque hæc Dei sententia dicatur: *Non permanebit spiritus meus in eis, qui carnes sunt* <sup>20</sup>. Carnes vero haudquamquam sensit universe (nam et Deus Verbum factus caro est), sed carnale studium nimirum, quod sædis libidinibus defixum, instar ferarum, minime appetitum conferat in Deum. Quo Deo Opt. Max. consecrando, uti postulet hoc effatum: *Vestra conversatio in cælis est* <sup>21</sup>, audiamus potius: *Vos non estis ex hoc mundo, sicut et ego non sum ex hoc mundo* <sup>22</sup>, quo quid beatius, non solum secundum imminens ævum, sed etiam secundum præsens? qui quidem a sædis libidinibus alieni, non carne regamur, quin spiritu ducamur. Hoc beatitudo, hoc suavitas, hoc felicitas, hoc angelica vita est atque is, medius fidius, in mundo vitæ quiddam obtinet instar, diadema gerentibus venerandus, mundi arbiter, et herus, simulacris satur divinis, ad decessum paratus, a morte imperterritus. Ii et nos, fratres, evadere pro viribus certemus (etenim fas est, si solido velimus), iique facti, tum vitam hanc omnem hilarem exigemus, quotvis ac quantavis secundum carnem incidant acerba, tum in futuro sæculo cæleste regnum erciscemur, æternis bonis cum sanctis omnibus fruantes per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CXXIV.

*Aperiri fores vitiis non oportere, operamque dandam qui sædis cogitatis vacemus.*

Fratres Patresque, lapsum est tempus nonnullum ex quo solemnibus catechesi, interque nos officii vicissim prohibemur, extorres huc illuc præ Agarenorum incursu. Quanquam qui jubeamur *benedicere Dominum in omni loco dominationis ejus* <sup>20</sup>, ne hic quidem torpescamus, qui pro virili statum, exercitationem, opificia, et quæ in aliis sita honesta conversatio est, urgeamus quæ videantur rerum quæ minime videantur exemplar capientes; nam si metu ne incideremus in Agarenorum manus aufugimus, hic hærentes, quanto debemus magis timore ne inimicis, qui obtutum fugiant oculorum, in manum conveniamus, quam longissime, quanquam tutissime abscedere? At qui est abscessus? peccati fuga, quo, acinacis instar, animum omnem interneccare satagit diabolus. Quod fugiamus quam maxime, fratres, vel usque ad cogitationes, unde in verba prorumpens, desinat porro in actionem. Difficile est autem, ac prope deploratum, nequaquam sædis cogitatis capi. Quibus si occupemur, certe amoliri ocus nitamur precibus, lacrymis animi quasi quibusdam ærumnis, quæ ex divina formidine nascantur, ut ne peccatum exigant mora, atque id quotidie, siquidem inest in nobis perpes implacabile bellum, neque aliter fas evadere est, quam ingenti, contentoque magisterio mentis, cum præsidio cælesti. Non videmus quæ excitata sit per hoc triduum in mari tempestas? eadem est et vitiorum, ac pol gravior, postquam hic animi agitur naufragium. Jam illius auctor Deus est, qui, ut ex usu sit, præstituto tempore mari ventos immittat; hujus nosmetipsi: liceat enim velut in portu degere tranquillis, qui haud aperiamus vitiis fores. Sin aperimus, flant in nos spiritus maligni, et ingens cooritur tempestas, nec

#### SERMO CXXV.

*De obedientia, ac qui cunctis obeundis muniis cum fide puraque mente animemur.*

Fratres Patresque, equidem servi veritus iudicium qui talentum abdidit in terram, ad quem ait Dominus: *Serve male, et piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura* <sup>23</sup>, necessario hæc verborum dissero segmenta. Vestrum est autem, qui egregii quidam nummularii sitis, in opus educere sermonem, quem Dei beneficio et eduxistis, me hercules, et educitis, pro insigni obedientia vestra. Quanquam sunt in vobis qui nec

#### ΛΟΓΟΣ ΡΚΕ΄.

*Περὶ ὑπακοῆς καὶ τοῦ μετὰ πίστεως καὶ ἐν καρδίᾳ, ἐπὶ πάσῃ διακονίᾳ προθυμῆσθαι (4).*

Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες, δεδοικῶς τὸ κρίμα τοῦ τῶν τάλαντων ἐν τῇ γῆ κρύψαντος, πρὸς ὃν φησὶν ὁ Κύριος: *Δοῦλε πονηρὸ καὶ ὀκνηρὸ, ἔδει σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην ἅν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ, ἀναγκαίως φθέγγομαι ταῦτα τὰ βραχέα ῥήματα· ὑμῶν δὲ ἐστὶ λοιπὸν τῶν καλῶν τῶν τραπεζιτῶν, εἰς ἔργον προαγαγεῖν τὰ λεγόμενα· ἅπερ χάριτι Θεοῦ καὶ προάγετε, διὰ τῆς ἀγαθῆς ὑμῶν ὑποταγῆς, ὅμως ὅτι εἰσὶ τινες ἐν ὑμῖν, οἳ τινες οὐ μόνον τὸ δοθὲν προσεξεργάζον-*

<sup>20</sup> Psal. cii, 22. <sup>21</sup> Gen. vi, 5. <sup>22</sup> Philipp. iii, 20. <sup>23</sup> Joan. xvii, 14. <sup>24</sup> Matth. xxv, 27.

(4) Apud Cod. Nan. cxxi<sup>m</sup> existit, p. 167.



ται, ἀλλὰ καὶ ὅπερ ἔχουσι μικροῦ δεῖν ἀπολύουσι· τίνες δ' ἂν εἶεν οὗτοι; Οἱ τὰς διακονίας παραιτούμενοι, καὶ τὸ συγχώρησον ἀντί τινος δικαιώματος προβαλλόμενοι. Τί λέγεις, ἀδελφέ; μέχρι θανάτου τὴν ὑπακοὴν ἐπηγγέλω, καὶ νῦν παραιτῆ τὴν διακονίαν περὶ ἣν εὐφυῶς ἔχεις ἐκ χάριτος Θεοῦ (5); Ἄλλ' ὅτι, φησὶ, δέδοικα διαπλεῖν τὴν θάλασσαν· ἐξ ἀπιστίας, ἐκεί φοβούμενος φόβον, οὗ οὐκ ἔστι φόβος· εἰ γὰρ πεπειθῶ; ἥς τῇ ὑπακοῇ, οὐ μόνον διαπλεῖν τὴν θάλασσαν, ἀλλὰ καὶ γυμνὸς τῷ σώματι χωρεῖν κατὰ τοῦ ὕδατος· μιμούμενος τὴν αἰοίδιμον ἐκεῖνον ὑποτακτίτην· ὃς τῇ πατρικῇ ἐντολῇ ἐπερειδόμενος, οὐκ ἔδεισε τὸν φοβερόν ἐκεῖνον ποταμὸν περάσαι, ἀλλὰ διαπεράσας, ἔμεινε μηδὲν παθὼν ὡς ἐκστῆσαι τοὺς ἐπιβλέποντας. Ὑπακοὴ τοίνυν καὶ θηρία ὑποτάσσειν οἶδε· καὶ μύρτυς τοῦ λόγου, ὁ ἐκ πατρικῆς προσταγῆς δεσμεύσας τὴν ὕαιναν· ὑπακοὴ καὶ ἐν νεκροῖς θαυματουργεῖ· καὶ τοῦτο ἐδιδάχει ὁ ἐκ τάφου φωνήσας Ἀχάκιος. Καὶ τί τοῦτο κάκεινο λέγω; αὐτὸς ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὑπήκουσεν γενόμενος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ, τὴν σωτήριον τοῦ κόσμου οἰκονομίαν ἀπειργάσατο. Καὶ τοιαῦτα μὲν τὰ τῆς ὑπακοῆς κατορθώματα· τὰ δὲ τῆς ἀπειθείας ἐγκλήματα βούλει μαθεῖν; Ἐνόησον τὸν Ἀδάμ· ὃς ἐπειδὴ περ ἤκουσε Θεοῦ τῆς ἀπειρημένης βρώσεως ἀπογευσάμενος, θάνατον εἰς τὸν κόσμον εἰσήγαγεν. Ἐνόησον τὸν Σαούλ· καὶ εὐρήσει; καὶ αὐτὸν παρακούσαντα τοῦ ἁγίου Σαμουὴλ, καὶ ὁμοῦ μὲν τὴν βασιλείαν, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν ζωὴν εἰς τὰ ὄρη τὰ Γελβουὲ ἀπορῥήξαντα. Ἐνόησον πρὸς τούτοις καὶ τὸν ἀνθρώπον τοῦ Θεοῦ ἐκεῖνον· ὃς τῇ ἀπάτῃ τοῦ ψευδοπροφήτου εἰς παρακοῆς ἐγκλημα ἐμπεπτωκῶς, λέοντι κατάθρονα παραδίδοται. Τί δαὶ Πέτρος ὁ μακάριος ἀπόστολος; οὐχὶ παραιτησάμενος νύφασθαι ὑπὸ τοῦ Κυρίου δι' εὐλάβειαν, ἀκούει· Ἐὰν μὴ νύψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ. Τί δαὶ ὁ ἐν τῷ ἁγίῳ Εὐθυμίῳ τὴν τοῦ κτηνίου διακονίαν ἀπαναινόμενος δι' ἃς ἐδόκει εὐλόγους προφάσεις, οὐχὶ παρ' αὐτὸ αὐτὰ ἤφρισε τὰ δαίμονα κληρωσάμενος; Τοιοῦτον τὸ κρῖμα τοῦ παραιτουμένου τὴν δεδομένην διακονίαν· τοῦ ἀντιλέγοντος· ἀντιλογίας γὰρ διεγείρει πᾶς κακὸς ὑποτακτίτης· ὁ δὲ Κύριος ἄγγελον ἀνελεήμονα εἰκότως πέμπει αὐτῷ, ὅπως ἐπειδὴ ἐν σώματι ἐσμεν οἱ πολλοὶ, ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη, καὶ ὁ μὲν ἐπέχει τόπον ὀφθαλμοῦ· ὁ δὲ ὠτός, ὁ δὲ ῥινός, ἄλλος γλώσσης· ἕτερος χειρὸς, καὶ ἄλλος ποδός. Ἐὰν οὖν μὴ πάντα τὰ μέλη τὰ οἰκεία ἐνεργῆ, ἀλλὰ φιλονεικοῖται ὁ ὀφθαλμὸς ἀκούειν, καὶ τὸ οὖς ὀσφραίνεσθαι, καὶ ἡ ῥίς φθέγγεσθαι, καὶ ἡ γλῶσσα χειραπτεῖν, καὶ ἡ χεὶρ βραδίσειν· οὐχὶ τὸ ὅλον σῶμα οὐχίσηται καὶ διαφθαρήσεται; Οὐκοῦν ἐπεὶ ταῦτα οὕτως ἔχει, ἕκαστος τὴν

<sup>5</sup> Joan, xiii, 8.

(5) Perspicue hinc apparet, monachos « obedientiam usque ad mortem » professos fuisse, ut etiamnum faciunt. Levinii quidem interpretatio id satis clare non exprimit : sed in Græco textu res est clarissima. Ille sic vertit : « Quinam hi sodes ? Qui officia recusant, ac pro æquo objectent, Comitare. Quæ hæc, malum, est oratio ? itan' obedientia vel in necem condita, nunc officium detrectas ad quod

A augeant sortem, et parum abest quin quod habent prodigant. Quinam hi, sodes ? qui officia recusent, ac pro æquo objectent, Comitare. Quæ hæc, malum, est oratio ? itan' obedientia vel in necem condita, nunc officium detrectas ad quod per Dei gratiam sis idoneus ? Ergo obedientia corrui. At enim vereor, inquit, trajicere mare. Pol præ pervicacia veteri, formidine ductus ubi formidandum sit nihil, nam obedientia præfidens, non solum mare trajicias, quin vel nudo corpore insilias in aquam, nobilem illum subditum imitatus qui paterno nixus præcepto, haud extimuit atrox flumen tranare, trajectoque illæsus perstitit, ut obstupescerent videntes. Quin domat obedientia feras, cui orationi testimonium dicet qui paterno jussu hyænam vinxit. Eademque edit in mortuis ostenta, quod locutus e monumento Acacius confirmat. Et quid hæc illaque commemoro ? ipse unigena Dei Filius obsequens in mortem, ac pol crucis, sospitam orbi terrarum procurationem peregit. Atque hæc sunt obedientiæ facinora. Sed vin' et pervicaciæ crimina cognoscere ? Cogitasis Adamum, qui Deo inobediens, cibo gustato interdicto, necem intulit in mundum ; necnon et Saulum, quem immorigerum Samueli, regnum juxta ac vitam invenies in monte Gelboe amisisse. His accedat divinus ille, qui falsi mendacio vatis inobedientiæ damnatus, pabulum traditur leoni. Quid, beatus apostolus Petrus non a Domino lavari præ reverentia detrectans, audit : *Si non laverō te, non habes partem mecum* <sup>26</sup> ? Quid, qui in sancto Euthymio pecorarii munus defugisset, justis de causis, quas credebat, non evestigio spumans dæmonem contraxit ? Hoc judicium est detrectando indicto munere : obloquenti etenim pravus omnis subditus obloquia concit, meritoque Deus crudelem ei genium immittit. Enimvero, ut semel dicam, multi unum corpus, et alter alterius membra singuli sumus, oculique vicem alius gerit, alius aurium, alius navium, alius linguæ, alius manus, alius pedis. Sin membra suas quæque partes non exereant, sed audire oculus certet, odorari aures, eloqui nares, palpate lingua, itare manus, qui potest non universum diffluere atque interire corpus ? Quæ cum ita sint, suo quisque officio satisfacito, et quam accepit gratiam divinitus, ad publicam frugem conferto, nostra in Dei manu posita reputans, neque aut mare naviganti omnino inibi moriendum, aut in sicco degenti indidem decedendum, sed quam ab orbe condito tempestatem, finem, locum benignus statuit Deus, id cuique extremum cessurum. Atque hæc disserui non tam eorum de quibus sermo est

per Dei gratiam sis idoneus ? » Sed clarius ac fidelius hæc vertamus. « Hi vero quinam sunt ? Qui ministeria detrectant, et suum illud, Ignosce, quasi quamdam excusationem prætendunt. Quid ais, o frater ? Obedientiam usque ad mortem professus es, et nunc ministerium recusas, cui per Dei gratiam idoneus es ? »



(nam obsecundos jam accepi), quam omnium audientium causa, ut obnixè ac contentè quæ pacta conventa Deo teste, atque electis angelis iniimus, re et opere præstemus, neu tergiversemur, quamlibet mortiferum sit quod injungitur, id enim Patres ac magus in primis Basilius, jubent. Quæ degenda vita, nequaquam sotes moriamur, quin pro justitia vivi, cœlestè regnum consequamur per Christum Jesum Dominum nostrum : cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

τυρι Θεῷ καὶ τοῖς ἐκλεκτοῖς ἀγγέλοις ἐδώκαμεν, καὶ θανάσιμον ἢ τὸ ἐπιταττόμενον. Οὕτως γὰρ κελεύουσιν οἱ Πατέρες, καὶ πρό γε πάντων ὁ μέγας Βασίλειος, καὶ οὕτως διαζῶντες, οὐκ ἀποθανούμεθα τῇ ἀμαρτίᾳ, ἀλλὰ ζήσομεν τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τύχωμεν βασιλείας οὐρανῶν· ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ [Κυρίῳ (5\*)] ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν

#### SERMO CXXVI.

*Qui genuina obedientia, ac secessione suscepta, mundo sint crucifixi, alacres amplecti corporis devictum oportere.*

Fratres Patresque, paulum in præsentia decubui, quamquam animi percussus, abscessurum me a vobis credidi. Sed quo longiorem mihi vitam? aut quanto tempore supervivam miser? Videtis quem admodum urget senium, et æqualibus defunctis, meæ decedendi imminent vices. Quid ergo? doleamus in eo? minime vero. Doleant sane si volunt, qui secundum carnem vivunt, conjugibus, liberis, pueris, ancillis, prædiis, pecuniis, ac quæ hic alia sunt vitæ studia, quibus et capiuntur, dimittendis, nos, quibus crucifixus est mundus, solaque superest crux, pro genuina obedientia, et secessione, non lugubre, sed lætificum mortis arcanum habeamus necesse est. Ac quid nos dico? cunctis adeo Christianis prælate amplectenda dejectio est, siquidem ante Domini nostri Jesu Christi adventum mors in homines imperium posita ob prævaricationem in Adamo, vel sanctis dira et terrificata, veniat simul Christus, omnium vita, mortem pro omnibus gustavit<sup>35</sup>, *viam nobis inities novam, ac viventem per velamen, id est, carnem suam, uti scriptum est*<sup>36</sup>, ibi tum mors absorpta victoria est, nec jam defuncti in orci regiam deportamur, sed in cœlestè regnum subvehimur, neque in tenebris, atque in umbrosa morte dormimus, quin abimus in lucem immortalè, ævumque quoddam securum et innoxium, quod sui amantibus promisit Deus. Ut nihil sit cur decessum fugiamus, qui ultro in primis sit prensandus, eoque magis, quo paratior es ab animi prociectu; miserum est enim, fratres, præteritum tempus sub exitum revocare, ac dies poscere vendi ad quæstum virtutum; miserum est, inquam, et ærumnosum. Equidem qui sic deprendatur, hæc is impendio turbetur atque afflictetur necesse est, qui non ad honorarium certaminum, sed ad supplicia scelerum prodeat e corpore, terribilibus obviis spectaculis. Quod ne patiamur, quæso, et admoneo, parati ad exitum semper, omnem supremum vitæ

διακονίαν αὐτοῦ πληροφορεῖτω· καὶ ὁ ἔλαβε χάρισμα παρὰ Θεοῦ, λυσιτελείτω πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον, ἐννοῶν ὅτι ἐν χειρὶ Θεοῦ τὰ ἡμέτερα, καὶ οὔτε διὰ τὸ ἐν θαλάσῃ πλεῖν, πάντως ἐκεῖσε τελευτᾶν, οὔτε ἐν τῇ ξηρᾷ διατρίβειν, ἐκεῖσε ἔστι θνήσκειν. Ἀλλὰ καθὼς ὁ ἀγαθὸς ἡμῶν Θεὸς πρὸ καταβολῆς κόσμου ὤρισε, καὶ χρῆνον καὶ τόπον καὶ τρόπον, τὸ ἐκάστου ἀποθήσεται τέλος. Καὶ ταῦτα διήλθον, οὐ τοσοῦτον διὰ τοὺς περὶ ὧν ὁ λόγος· ἤδη γὰρ ἔλαβον αὐτοὺς δι' ὑπακοῆς, ἀλλὰ διὰ πάντας τοὺς ἀκρωμένους, ἵνα προσέχωμεν ἀσφαλῶς· καὶ ἅς ἐπαγγελίας ὑπὸ μάρτυρας ἐναργῶς ἀποπληρῶμεν, καὶ μὴ ἀναδύεσθαι

diem credamus, ut a D. Antonio docemur, qua in eunda ratione, nec dissoluti simus, nec præfracti, nec torpidi, nec inertes, nec perveraces, nec immorigeri, nec effrenes, nec ridiculi, quin obsecundi, faciles, stimulabiles, vividi, mansueti, placidi, sinceri, citra offensam, omni honesto dediti, instar sanctorum, qui hac obita vita promissis bonis potiantur. Atque hæc dixi, non vos solum, quin me adeo præmunens, quo hoc apparatu defuncti sub exitum impavidi et imperterriti, hæc Davidica loquamur: *Converte, anima, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*<sup>37</sup>; et: *Placebo Domino in regione vivorum*<sup>38</sup>; quam et cuncti assequamur Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CXXVII.

*Fortiter et animose ad pericula resistendum, quæ humanitus consulentur.*

Fratres Patresque, haud abs re est loqui, et audire, ad publicam frugem neque ad virtutem nequidquam apparamur ac procingimur; nam si id agentes, sparsa jam in urbe fama de fide nonnulla, evesligio expavimus, turbati, scilicet, impræmeditati, vehementius attoniti, animum desponderimus? Ut sermocinari expediat, et præstrui, quo in re præsentia, adjuvante Deo, egregie pugna defungamur. At qui est rumor? post scelestam synodum quæ ad fidei ruinam nuper est agitata, post diris obligatos Patres, post oppugnationem duodecennem, post exsilia, compilationes, carcerem, contumelias, flagra, neces, totoque mundo jactationem, proinde ac si nihil insolens sit actum, trahimur a principibus verba cum sceleris antesignanis conferre; neque id solum, quin dictorum, ac controversiarum arbitros capere primores e magistratu, quibus despectare in nostratia nefas, ut ait quodam loco Gregorius Theologus, tantum abest ut iudices admittamus sacrorum dogmatum.

Scilicet magistratui divinitus tributus gladius est, postquam exstat hæc sententia: *Nam non est*

<sup>35</sup> Hebr. ii, 9. <sup>36</sup> Hebr. x, 20. <sup>37</sup> Psal. cxiv, 7.

<sup>38</sup> ibid. 9.



timori magistratus boni operis, sed mali<sup>39</sup>. Et: *Non sine causa gladium portat, vindex ei qui malum agit*<sup>40</sup>, quemadmodum et opitulum probis; cæterum sanctis apostolis cum divinorum dogmatum potestas, a Spiritu profecta, tum proscribendi, atque solvendi, siquidem Domini ad eos hæc sunt verba: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*<sup>41</sup>. Ac rursus: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*<sup>42</sup>. Certum est autem, ut iis dictum sit, itidem et hactenus vicissim successoribus edictum, ut in iis iudicem capere magistratum nihil sit aliud quam datam apostolis a Spiritu potestatem abrogare. Jam qui pertingant ad ardua veritatis decreta, vitæ perfectione absoluti nulla? scribente Apostolo: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus sæculi, nec magistratum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo magistratum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*<sup>43</sup>. Videtis gloriosum Dominum in cruce egisse magistratum? ut nunc quoque; si augustæ ejus imagini tribunal detur magistratus, non abs re dixerimus rursus Judaismum quemdam, ac Pilati tribunal agitari. Quin defugere cum impiis in concionem venire, ea quoque divina sententia est; ait enim: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*<sup>44</sup>. Consequenter divinus Apostolus jubet: *Non contendere verbis, sine ulla fruge, ad subversionem audientium*<sup>45</sup>. Nec abludit et deifer Ignatius, scribens in hunc sensum: « Præmoneo vos hominiformium ferarum, hæreticorum, quos non solum non admittere debetis, sed ne occurrere quidem, si potestis. » Singulique sancti, ne catechesim longam faciam, idem contestantur. Quæ cum sic edicantur, qui audeamus sacra in utraque controversia scita violare? Nequaquam, nec si mors impendat. Ut necessario detrectemus, fratres, non quod veri effecta sit oratio: sane enim quidem, pro præcepto, quo stabilire fidei sermonem jubeamur, volentibus principibus parati sumus ad apologiam, Domini nostri Jesu Christi beneficio, qui accingat viribus imbelles et facundiam vel mutis præbeat. Atque hæc illa fabula est quæ rumoribus jactetur. Cæterum vos animosi, ac spiritu præfirmi, ne committite ut exterreamini ab adversariis; quin, ceu Christiani quidam milites, fidei armis amicti, stabiles et immobiles consistite. Enimvero miles qui expertum bellis, ac triumphatorem habeat ducem, timere nescit; quin animos, et signa confert. quo nos debemus magis animari, qui copiarum arbitrum cælestium, ac totius universi monarcham,

opitulum et commilitonem in periculis, quæ humanitus conflentur, teneamus. *Confidite*, ait Dominus, *ego vici mundum*<sup>46</sup>, igitur confidamus nos quoque, certi victoria polituros, cum eo quem imperio mactum cunctorum omnis gloria decet, et honor, atque cultus, cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXVIII.

*De obedientia, ac frangenda voluntate.*

Fratres Patresque, cum defectos virtute catechetica verberat oratio, tum iterum persanat, nam hoc ipsum, dolere ob defectum eorum quæ deceat obiri instaurationem, in animis clam moritur quæ secundum Deum est tristitia, auctore Apostolo, *pœnitentiam in salutem non pœnitendam operante*<sup>47</sup>. Sed contemplemur, si lubet, quibus in rebus posita sint quæ nos contristent. Quod cogitata ingruant impura, quæ hostium vicem serio arietent in mentem? etenim scriptum est: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*<sup>48</sup>. An quod grave est obedientiæ jugum? etenim exstat hæc sententia rursus: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, qui solitarius insimul Deo serviet*<sup>49</sup>. Iterumque, *Jugum meum suave est, et onus meum leve*<sup>50</sup>. An quod nihil habet obedientia privum? at hoc enim apostolicum quoque est: *Ecce enim, ait, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis*<sup>51</sup>? Ac promissum, dii boni! quam venerabile, et illustre. Scilicet non autem et vos æque omnibus dimissis herum comitati, alius parentes deseruit, alius fratres, alius conjugem, atque liberos, alius ædes, alius agros, cuncti, omnibus præstantius, voluntates? quod arduum est cum primis in hominibus; enimvero seu contentum jejunium dicas, seu pervigilium, seu solitudo, seu insolentiam lavandi, seu solitudinem, seu quod aliud studium divinum, libera quadam fungentis voluntate obeuntur; porro autem quod libera voluntate obeatur, quamlibet grave est natura, voluntate quidem certe leviter confit quod frangenda voluntate, quantumvis leve videatur, difficulter tamen conficitur. Ac facinus id adeo sancti Patres obruncationem sciverunt, quod in alium cadat neminem quam subditum genuinum, qui et fari cum Apostolo queat: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*<sup>52</sup>: nam qui nequaquam ex sua libidine vivat, tanquam sequestra præfecti voluntate, Deo vivit. Quin imitatur et eum qui dixerit: *Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem qui misit me, Patris*<sup>53</sup>. Videtis quod instituti fastigium sit? non æmulum Christi, non apostolicum est? Nec pol adolor, quin exploratam eam sententiam veritas testimonium dicit. Sin homines sic defunctis haud encomia texunt, nihil hinc eis gloriæ

<sup>39</sup> Rom. xiii, 3. <sup>40</sup> Rom. xiii, 4. <sup>41</sup> Joan. xx, 22. <sup>42</sup> Joan. xvi, 19. <sup>43</sup> I Cor. ii, 6. 8. <sup>44</sup> Matth. vii, 6. <sup>45</sup> II Timoth. ii, 14. <sup>46</sup> Joan. xvi, 33. <sup>47</sup> II Cor. vii, 10. <sup>48</sup> Psal. xxvi, 3. <sup>49</sup> Thren. iii, 27. <sup>50</sup> Matth. xi, 30. <sup>51</sup> Matth. xix, 27. <sup>52</sup> Galat. ii, 20. <sup>53</sup> Joan. xi, 38.



decedit, postquam minime videt Deus proinde ac mortales, aliudque Dei, aliud hominum iudicium est, et ignobilis plerumque iis qui illustres appareant, sub præmii diem honoratior cernetur: siquidem scriptum est: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi*<sup>54</sup>. Igitur gaudete et tremiscite, partim ob Dei beneficium, partim ob ingenii conversionem, qui non iidem perpetuo maneamus. Atque ut apostolice loquar: *Consideremus invicem, in provocationem charitatis, ac bonorum operum*<sup>55</sup>, qui haud defetiscamus frangenda voluntate, in qua omnis vertitur oratio, nec dissolvamur officiis obeundis, quin alacritate potius firmemur, mutuo sustentantes, mutua onera portantes, ceu confratres, ceu unanimes ceu concorporales. Quo agitando in dies certamine, cursuque peragendo, nihil dubito quin coronam gloriæ ferelis, quæ minime marcescat, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXIX.

*Contenta accuratione cum inaspectabilibus inimicis confliendum vitandumque hæreticorum consortium.*

Fratres Patresque, equidem curta nostra est cohortandi facultas, re ac sermone tenuis, et vos tamen hortari atque ab animis pro virili excitare est necesse. Nam si in stadio currentes acclamationem desiderant sequentum, egentque in præliis certantes commilitonum stimulis, quanto vos oportet magis; qui cum inaspectabilibus inimicis bellum inieritis, tanquam delibutos verborum, ut sic dixerim, calcaribus, serio animis procingi, qui lucta haud in dieculam, quin per omnem vitam defuncti, parta illustri immortalitatis laurea victoribus, sempiterni pudoris infamiam victi exigatis? Verum ne id patiamur, fratres, neu expectatione frustremur, sed accuratione contenta, ac pertinaci obnixu, contra diabolum, Deo duce, victoriam cernamus, neque enim nescitis ut carnaliter pugnantes toti sint exciti. Quorum aiunt ora mutari, et alios pro aliis apparere, præ serio furore, animique præsentia, ut tum temporis nec conjugum, nec liberorum, nec parentum, nec fratrum, nec cuiusquam alterius meminerint omnino, præsto in bellum mente, ingenio, atque corpore ad eundem modum affecti nos quoque secundum interiorem hominem, terrore hostium nullo teneamur necesse est, quin alacritate acuamur et ardeamus animis, ceu egregii Christiani milites. Eosque conspicati perduelles, cedent oppugnatione; sin formidolosos, ac præfractos cernant, ibi tum arcum tendere, et impuris cogitatis, quasi quibusdam telis mentem lancinare. Quanquam nec sic desperandum est, quin recuperata per pœnitentiam sanitate, iterum pugnandum, atque id perpetim, nam pol ejusmodi

bellum est invisum quod per orbem pertinet terrarum. Ac si placet, ingenii oculis sublatis intuemini, sultis, omne hoc universum quod cis cœlum patet iis cædibus refertum: neque enim irreligiosos duntaxat, et hæreticos, nec stupris, atque adulteriis deditos, ac qui id genus flagitia designent, sub mucronem adigit draco, sed ab his quoque haud alienos et societatem coeuntes, si hæc vera est oratio: *Qui tangit picem inquinabitur, et qui communicat superbo, similis ei fiet*<sup>56</sup>. Sane insimulamur in præsentia, qui venditantem se quemdam pro orthodoxo, ac perpetuo cum hæresi consuescentem, vetuerimus ab orthodoxo in sacra mentione, dia obeunda mystagogia, edi, et offerri, nam si in decessu, minimum, prævertisset per confessionem sacris potiri, liceret quidem certe pro eo oblationem facere orthodoxo, nunc in hæretica consuetudine extinctus, qui potest in orthodoxam communionem inseri? Enimvero hæc Apostoli sententia est: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus; nam omnes de uno pane participamus*<sup>57</sup>. Igitur a pari hæretici communio panis, atque calicis, adversarum partium est, unumque exsors Christi efficit corpus societatem ineuntes, postquam *nec societas luci ad tenebras, nec participatio justitiæ cum injustitia, nec pars fidei cum infidei, nec consensus templo Dei cum idolis*<sup>58</sup>, ut idem alibi clamat. Ut lugendum sit in iis, ac cum orandum pro adhuc vivis quo diaboli laqueos evadant, tum de nobis gratulandum, quos jam olim Deus ad incolumitatem asciverit, animi sanctimonia, fideque præditos vera, qui religione tuenda orthodoxa, vel in præsentem ei confessionem serviremus, qua insonte, et integra defunctos, regno augeat cœlesti per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium cum Patre, ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXX.

*De mortis recordatione, ac virginitate.*

Fratres Patresque, alia aliis præfinita est tempestas (alia est enim sementis, alia messis, alia pacis, alia belli, alia quæstus, alia feriarum), animi saluti nulla non idonea, omnisque commodus dies, si velimus. Ergo irrequieti simus ad honesta, pernices, novitii, dicta in opus educentes: nam *Non auditores, ait, legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*<sup>59</sup>. Sane seu bellum agatur, quod aciem fugiat oculorum, fortiter sit pugnandum, ac Deo duce coorta diabolica sensa profliganda, ne immorata exigant mortem, seu messis obeatur spiritalis, animosa metendum quasi in horreum quoddam perennis viatica vitæ comportanda, ne perenni fame enecemur. Enimvero juge tempus est precum, lacrymarum, recon-

<sup>54</sup> Matth. xix, 30. <sup>55</sup> Hebr. x, 24. <sup>56</sup> Eccli. xiii, 1. <sup>57</sup> I Cor. x, 16, 17. <sup>58</sup> II Cor. vi 14-16. <sup>59</sup> Rom. ii, 13.



ciliandorum facinorum, regni rapiendi cœlestis, ut nihil sit cur deinceps cunctemur, diffindamur, et emendationem de die in diem trahamus. Scilicet non mundi præterit figura? non quotidie innumera- biles decedunt? non tumuli patentes genus infelix humanum, ut sic dixerim, agunt in triumphum? non cognatum terra excipit corpus? Num perpetes [nos autem sumus mansuri?] non recolimus quot e republica nostra, ut hoc memorem solum, abierint? Ubi beati olim patres? ubi fratres spirituales ac carnales? ubi conterranei? ubi sodales? ubi concantores? quorum penes nos soli habitus exstant, cassi rerum et inanes. Sed obliti, ut videtur, stipulationum, si qui est in manibus fratris obitus, patrisve, illico ad mentem redimus, stimulamur, subrigimur, at simul aliquantillum abiit B tempus, ibi tum pactorum ac stimulorum pertinax oblivio est. At non dii itidem sancti, qui vita omni meditatione quadam parata mortis, indies mori, (et mirum) vivere, indies mundo apostolice crucifigi, indies ad Deum studio proficisci, vitam degentes vere felicem ac amabilem. Non exemplo terreni decem virginum? *Ecce, inquit, sponsus venit, exite obviam ei*<sup>66</sup>. Igitur prudentes cum splendidis lucernis obviæ, in thalamum penetrare, seræ ob honorum operum penuriam stultæ clamare in hæc verba: *Domine, Domine, aperi nobis*<sup>67</sup>, quibus ille respondens dicere: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*<sup>68</sup>, addens: *Vigilate, quia nescitis diem illum, neque horam*<sup>69</sup>. Vigilandum est ergo, et animus C excitandus, qui arrectus stimuletur, lustretur, februetur, renidescat, ne ingruente subito morte, excludamur, nemine aperturo, aut adjumento futuro. Prævertamus una omnes serio, inquam, parare opera discessu amica Deo, piger evigilato, inobediens obedito, elatus succumbito, durus molitor, flendi insolens stimulator, confessioni alienus confitetur, ignavus operator, cuncti cuncta exsequuntor, atque addam, me hercules, mulierosus refrenator. Quid hoc verbi est? ne cum mulieribus consuescito, ac commorator diutius, unde flagitii exardescat ignis, ac sacrarum Litterarum audienda sententia: *Deligabit aliquis ignem in sinu, nec deuret vestimenta, aut ambulabit super carbones ignis, nec plantas comburet*<sup>70</sup>? Itidem qui ad mulierem se D conferat maritam: marita est autem tum virgo quoque, seu monacha, tum quæ viduitatis se obligavit, quarum sponsus gloriosus Deus est. Atque hæc quidem oberrones huc illuc, qui ex libidine vivunt quærendo sceleri prætextu, parum memores Dominici jussi, eruendum oculum qui te scandalizet<sup>71</sup>, nedum aliter affectos. Ad vos quidem hoc habeo dicere, debemus nos firmi imbecillitatem ferre infirmorum, et honestatis exemplum objici perversis quod cum estis per divinam gratiam, tum sitis insuper, Dei beneficio, ac sospitemini, per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria

et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## SERMO CXXXI

*De studio, vitæque nostra dia et felice.*

Fratres Patresque, alio in prioribus dicendi usus exordio, nunc percontabundus infio. Ac quæro equidem de monastici, quod obeamus, studii certamine, quid arbitramini, fratres? tenemusn' quod vestigamus, et immortalis potimur ævo, spe affecti sospita, au desumus vero officio? Enimvero, quantum ex apparenti, haud vos opinor vel tantillum subdititiis, ut sic dixerim, scitis, atque regulis defuisse, quod salutis caput vestræ est, et incolumes porro, ac sine fraude introrsum conservemini, quo nauci hic ego per vos sentiam beneficium. Sane utrique Deum prædicemus, qui potiori dilecta parte, et tanquam ad Jesu pedes considentes, sermocinantem audiamus<sup>72</sup>. Ergo anguntur alii, ac de plurimis laborant, conjugibus, liberis, prædiis, pecuniis, nostra hæc una procuratio est, qui Domino placeamus, alii terreno cæsari merent, cujus imperiis coguntur, quamlibet ad mortem, inservire, nostra spontanea militia est, regis ter optimi Christi cum omni libertate jussa obeuntum, honorario quodam militiæ, regno condito inconcusso, alii fluxi atque exilis quæstus gratia longum et arduum iter exigunt, nobis in æde divina concordibus obire, ac dies noctesque amplitudinem Dei usurpare faucibus licet, non aurum hinc caducam lucraturis, sed opes indireptas et æternas. Qua in re ut insit molestia quædam, ac contentio, seu sensilis, seu invisiva (nam pol inest), certe ob sermonem divinum, spemque facillima est, qui in angustiis exporrecti, lætemur in ærumnis ea; hæc enim vita degitur quæ vel adversis charos ad se alliciat. Quis non deamat et amplectitur parentes? atque his tamen præ Dei studio relictis, hominum nati huc incumbunt. Quid conjugio devinctius, postquam de Domini sententia duo unum sunt corpus, sectos tamen evangelicus gladius huc ablegat. Sane hic principatum repudiat princeps, divitias flocci æstimat dives, penuriæ obliviscitur inops, viduitatem amolitur viduus, addam et derepta purpara regem his accenseri. Scilicet par Christiani corporis honor, portusque quidam est publicus salutis. Jam obita morte, non luctus atque planctus agitur, secuudum vitæ amantes, quin composita inhumatio defuncti est, quem nec conjux inclamet, nec liberi quiritentur, nec cognati ejulent, hoc et illud revocantes, læteque prodeatur, ac cum spe bona efferatur, sin et lacrymis opus, næ hæc quidem citra fas, ob spiritalem digressi amicitiam, postquam et Dominus super Lazaro flevit<sup>73</sup>, naturam demonstrans. Quæ hac vita in omni memoria felicior quod præ hoc institutum patefactum est Deo conjungens, ut non abs re Davidice dicamus: *Illic mandavit Dominus benedictionem, vitam*

<sup>66</sup> Matth. xxv, 6. <sup>67</sup> ibid. 11. <sup>68</sup> ibid. 12. <sup>69</sup> ibid. 13. <sup>70</sup> Prov. vi, 27, 28. <sup>71</sup> Matth. v, 29. <sup>72</sup> Luc. 59. <sup>73</sup> Joan. xi, 35.



usque in sæculum <sup>74</sup>. Igitur gaudeamus, fratres, et invicem gratulemur, agendis etiam atque etiam gratis, ac de amando serio clemente Deo, qui nos e tenebris in lucem, ex ignominia in gloriam, e sordibus in splendorem acciverit; nam scitis qua origine quisque et quibus parentibus satus, cum quibus coierit, quorum frater vocetur; quorum contubernio utatur. Ac dico equidem et in exteris personis. Quæ ingressus quidam, et exordia sunt futurorum promissorum, siquidem absoluto ac confecto quod incumbat certamine et obsequio irrevulso certantes, proferendis obedientiæ fructibus quibusdam, tanquam in paradiso, vel ad ministeria prompti, omni honestate functi, ad indictas morigeris leges atque normam, ad extremum consequemur quæ nec vidit oculus, nec audivit auris, nec mortalium quiquam venire in mentem <sup>75</sup>, sui amantibus parata divinitus, quæ et cuncti nanciscamur Domini nostri Jesu Christi liberalitate atque beneficio. Cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXXII.

*De obitu fratris Gregorii, atque ad decessum apparari perpetes oportere.*

Fratres Patresque, mortis nuntii increbrescunt, cominus et eminus auditi hac tempestate, maxime spiritualium fratrum patrumque; enimvero præter alios et frater Gregorius nos reliquit, cujus tum laudata vita est, tum exitus felix, in periculis pro Christo defuncti. Quid tum vero? scilicet, necesse est omnes omnino hinc abire, qua parvos, qua magnos, qua senes, qua juvenes, una in omnes mortis statuta multa, alio prius, alio posterius obituro. Ut serio sit cogitandum quid animo e corpore segresso patiemur? Nam qui sodes adventum feramus geniorum, nequaquam armis induti lucidis? qui eam viam peragemus, haud comportatis æternæ vitæ viaticis? qui mundi principem evadamus, de quo ait Dominus: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* <sup>76</sup>, minus liberi ab servilibus vitiis? *Beatus, inquit, servus ille quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum* <sup>77</sup>. Ecquam optatissimam vocem. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, et cæperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis, veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus, et stridor dentium* <sup>78</sup>. Non ad eam comparisonem pavemus? non ad minas corporibus tabemus? scilicet fabulæ sunt, et oratio cassa? Pol nec rei significatæ veritatem vis assequitur verborum, neque enim fletus ille est ut hic noster, nec dentium stridor huic similis, tantumque interest, quantum inter somnia ac veritatem, postquam illic non exstinguitur ignis,

A hic exstinguitur; non moritur vermis, hic moritur. Sed quis solers et exquisitus, quis perspicax et auritus? siquidem potest nec videre videns, nec audire audiens, præ animi stupore mentisque cum vitiis commercio. Quis laudatum a Domino luctum possidens, et indies se ab inquinamentis hinc inde expurgans, neque in crastinum rejiciens? *Sufficit enim, ait, dici malitia sua* <sup>79</sup>. Quis studio studium committens Dei, omnique hinc libidine solutus, qui cum Davide dicat: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua* <sup>80</sup>? O innocentiam felicem! nos quidem simus necesse est, et eum in modum jubent apparemus sacræ Litteræ, animis ardentes, fide armati, spe alites, ad exitum procincti. Igitur hortor ac obtestor, ceu quotidie morituri obeamus, pro virili nos urgentes, certi violentum quiddam esse virtutem, quæ in acclivia trahat, uti vitium in proclive, lacrymas contrahamus lustricas, quas contritio cordis animique submissio gignat, amicos sanctos angelos paremus, agitanda insonte vita qui sub decessum leniter nos ad herum perducant. Atque hæc dissero, non qui bonum aliquid obierim, quin obire satagam vobiscum, ut damnas loquendi nec subticendi, Deique vos prosequens amore, quo felices cuncti perennem vitam erciscamur, per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

### SERMO CXXXIII.

C *De salutari confessione, ac quo affectus beneficio quisque est, impertiri cæteris oportere.*

Fratres Patresque, cum tacere cupio, tum loqui compellor, illud ne vos contristem, hoc de præcepti mandato: nam, *Loquere, inquit, et ne taceas, propter quod ego sum tecum* <sup>81</sup>; etsi id enim Domini est ad Apostolum dictum, omnibus tamen præfecturam sortitis convenit oratio. Sane estis vos quoque Dei populus ac sacer populus, addam et numerosus, si universa spectanda respublica est. Sed quamobrem vobis indolui superioribus diebus, ac dolore minime ferendo? nimirum, ut apparet, confessio nulla est, ingens ea et opitula virtus. Qua si meliores effici viderem, pol lætarer, ut exsolutus molestiis; postquam non exigui laboris alienos morbos curare est, nunc qui agi diversos e contrario animadvertam reputo causam. Igitur unde hæc in vobis licentia, sodes, ac quæ hinc nascitur indignitas! non qui haud evulgetis, quin tegatis pestifera animi censa? Scelerum quidem certe aditus in nobis, et tanquam radix foeda cogitatio est quæ publicata, Dei misericordiam, profligetur tecta paulatim exeat in opus tenebrarum. Hinc animi interneciones, hinc secessus, hinc fuci atque ignorantiae prætextus. At enim, bone vir, rationis impotes animantes per se sciunt noxias escas refugere, ut nihil dicam hominem, per sacram tunctionem omni mactum esse boni scientia. Tenus Scripturæ sententiam non au-

<sup>74</sup> Psal. cxxxii, 5. <sup>75</sup> 1 Cor. ii, 9. <sup>76</sup> Joan. xiv, 30. <sup>77</sup> Matth. xxiv, 46, 47. <sup>78</sup> ibid. 48-51. <sup>79</sup> Matth. vi, 34. <sup>80</sup> Psal. lxi, 9. <sup>81</sup> Act. xviii, 9.



disse? *Originali mundo haud pepercit Deus, sed octavum Noe, justitiæ præconem, custodivit, diluvium mundo impiorum inducens*<sup>82</sup>, non hoc tenere? civitates Sodomorum ac Gomorrhæ, in cinerem redactas, eversione damnasse Deum, exemplum eorum qui impie essent acturi ponentem<sup>83</sup>, denique non clamantem sæpe Apostolum sensisse? *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*<sup>84</sup>. His tu auditis qui malum nescire prædicas? scilicet verba hæc sunt et prætextus. Sed quid agam talium magistris: qui cum hortari oporteret ac præmunire, suoque discipulum exemplo stabilire, nomenclaturam gerunt inanem, ab re vacui. Enimvero omnis ævi memoriam, resque gestas sanctorum Patrum lustratore, seu, ut propius dicam, in nostra republica quod dixi spectatore. Qualem beatum Gregorium abbas Dorotheus, qualem ter felicem Thaddæum abbas Arsenius, qualem inclytum Jacobum abbas Lucianus, quales cæteros, ne sim prolixus, cæteri fecere? *Habenti, inquit, dabitur, et abundabit, ei autem qui non habet et quod videtur habere auferetur*<sup>85</sup>. Non minas timetis? non reformidatis quem reformidant universa? Igitur hortor et obtestor, ut affectus beneficio quisque est, provinciæ satisfacito, cunctaque velut in oculis divinis obeuntor. Ne quis deinceps inconfessus degito, ignavus ac dissolutus, neu cibi et potus impotens, unde libidines gignantur, neu inquietus ac rabula, qui collegium conturbet. Auden' omnino cum laico pugnas conserere verborum et improbis colloquiis certare? Ergo haud monachus es, sed facinorosus; non pacis, sed iræ filius. Atque hæc quinam juvenes, nec vel mutire digni. *Quanquam debemus nos firmi imbecillitatem infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem; et enim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*<sup>86</sup>. Quamobrem multemur contumeliis nos quoque una cum Christo, ac pro Christo, omniaque ad institutæ ab eo vitæ exemplar agere satagamus, quo Deo placentes cœleste regnum ineamus, per Christum Jesum Dominum nostrum: cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

#### SERMO CXXXIV.

*Obstupendum non esse, qui a præfecto carpamur, regnumque ineundum cœleste per frequentes miseras.*

Frares Patresque, sacræ Scripturæ hæc sententia est: *Ego diligentes me diligo, et qui quærent me invenient me*<sup>87</sup>, ac signum explicat amoris in hæc verba: *Qui autem diligit, serio castigat*<sup>88</sup>. Sane ad

A hoc vobis statutus, equidem non potui quin priore catechesi carperem frequentes, non ut contristaremini (adeo id Apostoli dictum usurpare), sed ut sciretis charitatem quam habeo abundantius in vos<sup>89</sup>, qui et afflictis condoleam, et lætis congratuler. Nam ad quem alium respectem, aut de quo doceam læterve, nisi de vobis? qui mei fratres, filii, patres, amici, cognati, amor, voluptas, gaudium, corona sitis, ac si quod aliud nomen edere est studii et amoris. Vosque itidem testor non ab parentibus, non fratribus, non genere, non patria, non alia re quapiam conspicua pendere, quin ab Deo duntaxat, ac post Deum ab tenuitate nostra, ut habendæ sint Deo gratiæ, qui tam sinceris animis devinxerit, amantes ac redamatos, amplectentes ac redamplexos, unum corpus unamque mentem, ut in unam spem quoque accitos atque vocatos. Quod superest, lætemur, et inter nos collætetur, fratres, neu stupeamus, qui interdum carpamur, sed profectam ab amore, atque in commune frugi disciplinam leniter feramus. Scriptum est enim: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*<sup>90</sup>. Quin ait et Apostolus: *Si disciplinam sustinetis, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? sin extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulterini estis, et non filii*<sup>91</sup>. Jam opibus ac imperiis, et si quid aliud est quod ambient mortales, haud citra laborem acquirendis, quin magno cum labore atque studio, Deum, ac divina præmia parare, expeditum quiddam, et facile remur, nec mille plenum ærumnis, ex sudoribus, non id extremæ amentix est indicium? Enimvero audimus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*<sup>92</sup>, arctaque et afflictiva via est, quæ in perennem vitam deducit<sup>93</sup>. Quamobrem, sodes, quod inhærere renuentes hilariter ævo quo frueremur, ac lætitiæ quondam in pomario infinitæ, ruere in calamitosam tristemque vitam maluimus inscite. Neque aliter eo revertamur, quam miseris exerciti, instar Domini nostri Jesu Christi, qui proposito sibi gaudio, ait ille, *sustinuit crucem confusione contempta*<sup>94</sup>. Quanquam quæ secundum Deum incidant acerba, spe lenita æternorum bonorum, ne acerba sunt quidem, præsensque tempus sanctis feriæ quædam credebatur, quod hinc sanctus David testatur, inquit: *Exsultate, justi, in Domino*<sup>95</sup>, jugi declarando triumpho. Hinc beatus Apostolus, eadem loquens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*<sup>96</sup>. Quæ etsi luctuosis et lacrymabondis, pugnaque quadam exercitis, ac pro honesto varie multatis dicebantur, tamen secundum Deum tristitia probis occasio ducitur lætitiæ, ut nos etiam fratres, tanquam feriatos

<sup>82</sup> II Petr. II, 15. <sup>83</sup> ibid. 6. <sup>84</sup> I Cor. VI, 9, 10. <sup>85</sup> Matth. XXV, 29. <sup>86</sup> Rom. XV, 2, 3. <sup>87</sup> Prov. VII, 17. <sup>88</sup> Prov. XIII, 24. <sup>89</sup> II Cor. II, 5. <sup>90</sup> Hebr. XII, 5, 6. <sup>91</sup> ibid. 7, 8. <sup>92</sup> Act. XIV, 21. <sup>93</sup> Matth. VII, 14. <sup>94</sup> Hebr. XII, 2. <sup>95</sup> Psal. XXXII, 4. <sup>96</sup> Philipp. IV, 4.



quotidie, divinis patiendis miseriis certare tolerantia par sit, nequaquam fractos diaboli technis atque præliis, quin si quid interdum dormitemus, citraque carceres quosdam officii vel animo, vel sermone, vel actione feramur, ocius surgentes, qui in priorem statum recurramus, et ardentibus studiis Deo serviamus, certi bellatorem ac pugnacem militem a rege

honorarium ferre, non fugacem et imbellem. Quod nos inaspectabile bellum ad extremum usque spiritum urgentes, æternis præmiis Dei beneficio quærendis, cæleste regnum consequemur, per Christum Jesum Dominum nostrum. Cui gloria et imperium, cum Patre ac sancto Spiritu, nunc et semper, in omnemque perpetuitatem. Amen.

## EJUSDEM ORATIONES

EX FABRICIO, GRETSERO, ANGELO MAI EXCERPTÆ.

I.

*In diversitate ciborum cavendum, et de temperantia. Die Dominica sanctorum Patrum, cap. 10.*

(FABRIC. *Biblioth. græc.* t. XII, p. 503.)

Fratres et Patres mei, quandoquidem os indignum quotidie coram vobis aperirem, o filii desideratissimi, meumque simul firmamen, non hoc satis ducerem pro salutis vestræ desiderio sollicitudineque quibus indesinenter occupor. In hoc enim, licet peccator, intentus versor nocte dieque, hoc spiro, ambio, persequor, hoc est vita mea. Mortem laudarem propter quam proficiscentibus fratribus relaxor, oblata vobiscum colloquendi per litteras occasione.

Quomodo, fratres mei, Pascham sanctificati degistis? Quomodo sanctos resurrectionis Dei hominis in pietate pertransistis dies? Non me fugit vos purificatos, illuminatos, exaltatos, sanctificatos perfectosque esse in gratia Domini mei, concordiam et charitatem inter vos exercentes, et omnibus vigili ardentique studio incumbentes: hoc enim demonstrant plures vestræ epistolæ, mihi vestræ fidei vim præcelsasque virtutes significantes. Deus, qui vos ita justificavit, et in omni bono firmavit, magis ac magis abundantissimo subsidio servet et custodiat vos mei lucas, faces, oculos, brachia, et quidquid sanctissimum. Ex præsentibus videte, filii mei, bonum difficile acquisitu, facileque non caventibus perditum, et quo longiori tempore repertum fuerit, eo citius minima negligentia diffugere. Tempus præsens cavete: ver

adest, quo corpus ad agitationem sollicitatur; caro nostra terrena ad actus terrestres tendit.

ἀμελείας διαφεύγειν. Προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τοῦ ἐνεστῶτος καιροῦ, ὅτι ἑαρινός ἐστι, καὶ τοῦ σώματος κινήτικός. Καὶ ἡ σὰρξ ἡμῶν γῆ οὕσα ζητεῖ γῆζῶς

A'.

*Ἄξιον ἔστι προσέχειν ἑαυτοὺς ἐν τοῖς διαφοροῖς βρώμασι, καὶ περὶ ἐγκρατείας. Τῇ Κυριακῇ τῶν ἁγίων Πατέρων, κεφάλ. ι'.*

Ἄδελφοί μου καὶ Πατέρες, ἐὰν καθ' ἐκάστην ἡμέραν τὸ ρυπαρὸν ἡμῶν στόμα ἀνοίγωμεν πρὸς ὑμᾶς, ὧ τέχνα πεποθημένα καὶ σεβάσματα, οὐκ ἀρκετὸν ἡγούμεθα διὰ τὸν περιόντα ἡμῖν πόθον, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ σώζεσθαι ὑμᾶς ἐπιχειμένην ἡμῖν φροντίδα· εἰς τοῦτο γὰρ, κἂν ἁμαρτωλοὶ ἴσμεν, ἀδολεσχοῦμεν νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ περὶ τούτου καταγινομεθα, καὶ τοῦτο ἀναπνέομεν, καὶ τούτου ἐφιέμεθα, καὶ τοῦτο ἐκζητοῦμεν, καὶ τοῦτο ἡ ζωὴ ἡμῶν. Καὶ ὁ ἐπαινετὸς θάνατος, διὸ καὶ τὸ νῦν ἐξερχομένων τῶν ἀδελφῶν ἀνεπνεύσαμεν, εὐρόντες τὸ συλλαλεῖν ὑμῖν ἐν τοῖς γράμμασι.

Πῶς τοίνυν, ἀδελφοί μου ἡγιασμένοι, ἐπασχάσατε; καὶ πῶς διέρχεσθε ἐν εὐσεβείᾳ τὰς τῆς ἁγίας ἀναστάσεως θεοφωτίστους ἡμέρας; Οἶδα δὲ ὅτι καθαίρεσθε καὶ φωτίζεσθε, καὶ ὑψοῦσθε, καὶ ἀγιάζεσθε, καὶ τελειοῦσθε ἐν τῇ χάριτι τοῦ Κυρίου μου, ἔχοντες τὸ εἰς ἀλλήλους ὁμονοητικὴν καὶ ὁμόψυχον, καὶ ἀγαπητικὸν, καὶ διεγνηγεργμένον ἐν πᾶσι καὶ μεγαλοπρόθυμον. Τοῦτο γὰρ ἐπιδηλοῦσιν αἱ διαφορῶς ἐπεισερχόμεναι ἐπιστολαὶ ὑμῶν, ἀναγγέλλουσαι ἡμῖν τὸ τῆς πίστεως κραταῖον ὑμῶν, καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς ὑψηλότατον. Καὶ γοῦν Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ οὕτως ὑμῖν ταῦτα χαρισάμενος, καὶ τοιοῦτοις ὑμᾶς κατορθώμασι στηριζάμενος πλειόνως καὶ μειζόνως, καὶ διαρκεστάτως διατηρήσει καὶ διαφυλάξει ὅλως ὑμᾶς τοὺς ἐμοὺς φωστῆρας καὶ λαμπτήρας, ὀφθαλμούς τε καὶ βραχίονας, καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν ὀσιωτάτων. Βλέπετε τοίνυν, τέχνα μου, καὶ ἀπὸ τοῦ παρόντος, ὅτι τὸ καλὸν καὶ δύσκτητόν ἐστι, καὶ τοῖς μὴ προσέχουσιν εὐάλωτον, καὶ τὸ πολυχρονίως εὐρεθὲν, βραδίως διὰ μικρᾶς ἐνεργεῖν.

Ἡ τοι νῦν γῆ κοπριζομένη καὶ παινομένη ἀναφύει καὶ βλαστάνει καὶ ἀνθοφορεῖ. Καὶ ἡ σὰρξ τὸ αὐτὸ τοῖς διαφοροῖς βρώμασι καὶ πόμασι παινομένη, ἀνάγκη τῆς τῶν παθῶν ἀκάνθας ἀναμερίζειν. Περιλάβετε ταύτην, καὶ ὑπωπιάσατε ἀποστολικῶς, καὶ